ſeſſione perſtiterit, ſi de factis tempore præterito loquamur, quo ſolum profeſſus exiſtimatus erat, nil teneri eum reparare. Quippe omnia illa valida fuerunt (ut probavi n. 38.) Si autem de in poſterum faciendis ſermo ſit, ſi ratione antiquitatis exiſtimatæ profeſſionis aliquid ſibi competat, quod in præjudicium alicujus momenti religionis aut religioſorum cedat, tunc exiſtimo eum teneri ſecrete pro foro conſcientiæ diſpenſationem impetrare, ut id retineat: interim tamen dum procurat, vel ſi commode procurare nequeat, non tenetur cum nota ab iis abſtinere, ſed ſolum quando abſque nota poſſet, ut conſtat ex dictis n.38. ſi vero competentia ratione dictæ antiquitatis ſint modici momenti, ut priorem locum occupare, prius ferre ſuffragium, & alia hujuſmodi, non credo eum compellendum eſſe ad procurandam diſpenſationem. Quia rei modicitas id perſuadet.

S U M M A R I U M.

Conjugatus profeſſus ſine valida conjugis licentia non comprehenditur ſub decreto Trident. ſeſſ.25. de regul. c.19. ſed poteſt quandocumque durante conjugio reclamare, n.69.
An ceſſante conjugio ut ratificet, deſideretur ſcientia nullitatis profeſſionis, iteratus novitiatus, & nova ſuperioris acceptatio? Et an repetendæ ſint cæremoniæ, & poſſit obtinere locum & privilegia antiquæ profeſſionis irritæ debita: & dicenda ſint omnia de hoc, quæ dicuntur de non legitimo profeſſo, dum non ratificavit, vel poſtquam ratificavit, 70.
Si impedimentum conjugii duret toto quinquennio, vel partim, quando liceat reclamare? 71.

69 QUæſtio ultima. Quando conjux ſine valida licentia conjugis profeſſus, poſſit reclamare contra profeſſionem, an quinquennium præſcriptum in *Trident. ſeſſ. 25. cap. 19. de regular.* procedat in hoc eventu? Et quid exigatur ut profeſſio hujus valere incipiat? Prima concluſio ſit, conjugatus hic durante conjugio non comprehenditur ſub decreto *Trident. ſeſſ.25. de regul. cap. 19.* præſcribenti quinquennium ad reclamandum contra profeſſionem, ſed eo durante locus erit reclamationi. Quia eſt inhabilis ad profitendum valide abſque valida alterius conjugis licentia, ut conſtat ex dictis tota diſputat. 34. & 35. At inhabiles non comprehenduntur ſub eo decreto, ut probavimus hac diſputatione num. 34.

70 II. Concluſio. Ceſſante impedimento conjugii, eo quod conjux relictus in ſæculo conſenſum præbet, aut fornicatur, altero exiſtenti innocente, aut vita functus eſt, ut ea profeſſio quæ irrita erat convaleſcat, neceſſaria eſt ratificatio ipſius profeſſi cognita prioris profeſſionis nullitate: juxta dicta num 59. non tamen deſideratur novitatis iteratio, juxta probabiliorem opinionem, quam amplexi ſumus num. 47. quamvis oppoſitum ſit probabile, ut num. 46. diximus, nec deſideratur nova acceptatio religionis ſcientis priorem profeſſionem fuiſſe irritam, juxta probabilem ſent. propoſitam num. 64. ſecus juxta probabiliorem relatam num. 63. Et hæc quidem procedunt retenta noſtra ſent. quam diſp. 34. nu. 16. & 18. uſque ad 22. & diſp.35. n.7. 11. & 15. defendimus, nimirum profeſſionem factam a conjuge abſque ſpontanea licentia, vel metu & dolo alterius conjugis, adeo irritam eſſe, ut non convaleſcat alterius conſenſu aut morte, niſi ipſemet conjux profeſſus tunc eam ratam habeat. Et de repetendis cæremoniis in ratificatione hujus profeſſionis, & de retinendis loco ac privilegiis debitis antiquitati prioris profeſſionis, dicenda prorſus ſunt, quæ diximus n.66. & duplici ſeq. Et denique de obligatione ratificandi poſtea profeſſionem, ac de fugiendi poteſtate & de ceteris, quæ ratione profeſſionis ei poterant competere: ſunt eadem aſſerenda, quæ de invalide profeſſo diximus n.36. & ſeqq.

71 Tandem ſi impedimentum illud duret quinquennio poſt profeſſionem, vel parte quinquennii, quando liceat huic reclamare. Dicenda ſunt quæ diximus n. 34. fine, de habente impedimentum irritans profeſſionem.

DISPUTATIO XXXVIII.

An vir poſſit abſque uxoris licentia ad ordines promoveri: & ſic promotus ad quid aſtringendus ſit?

S U M M A R I U M.

Quot quæſtiones diſputandæ ſint, n.1.
Conjugatus nec ante, nec poſt matr. conſummatum, poteſt ad ordines ſacros aſcendere, abſque ſpontanea conjugis licentia. Et remiſſive, quid quando uxor fornicatur? 2.
Quid, ſi maritus nondum conſummato matr. habeat animum tranſeundi ad religionem: an poſſit ſacris initiari? 3.
An id liceat ex Pontificis licentia, 4.
An poſſit ſine licentia uxoris ad primam tonſuram, & ordines minores aſcendere? Refertur quædam ſententia, 5.
Proponitur ſententia Auctoris, 6.
Quid, ſi matr. nondum ſit conſummatum? 7.
An ſit exigendum votum continentiæ ab hoc conjugato volente ad primam tonſuram, & ordines minores promoveri? 8.
Non poteſt ad ordines minores aſcendere, niſi velit ad ſacros, 9
Solvuntur argumenta, 10.
Quando vir ſine uxoris licentia promotus eſt ad ſacros ordines, poteſt ab ipſa revocari, 11.
Quid, ſi ad ſummum Pontificatum provectus ſit, 12.
Quid, ſi licentia metu aut dolo extorta ſit, 13.
Quid, ſi uxor nec conſenſit, nec diſſenſit, ſed diſſimulavit? Refertur quædam ſent. 13.
Proponitur ſententia Auctoris, 15.
An uxore non repetente, poſſit vir promotus ad eam redire, 16.
An vir promotus ad ordines matr. nondum conſummato, abſque uxoris licentia, teneatur ingredi religionem? Refertur quædam ſent. 17.
Proponitur ſententia Auctoris, 18.
Quid, ſi promotus ſit animo ingrediendi, 19.
An ſi nolit ingredi, ſit uxori reſtituendus, & ad quid teneatur, quamvis ſummus Pontifex ſit? Et remiſſive, quid, ſi poſtea uxor adulterium admittat, 20.
An quis matrimonio conſummato initiatus ordine ſacro, abſque licentia uxoris poſſit petere, & teneatur reddere, apud Græcos & Latinos, 21.
An uxor teneatur huic reddere, vel profeſſo abſque ejus licentia, vel cum illa, poſtea tamen ad ipſam revocato, 22.
An valeat matr. initum poſt uxoris obitum, ab eo qui abſque ejus licentia ordines ſacros aſſumpſit? Refertur quædam opinio? 23.
Proponitur Authoris ſententia, 24.

CUm diſputatum hactenus ſit de facultate conjugatorum 1
tranſeundi ad religionem, & de conditionibus ad id jure petitis. Jam de facultate aſcendendi ad ordines, Epiſcopatum & Cardinalatum, tractandum eſt, quod quatuor diſput. abſolvetur. Præſens tractabit de facultate promovendi viri ad ordines abſque uxoris licentia, vel cum ea metu vel dolo extorta, vel ſola uxoris diſſimulatione: & de obligatione ſic promoti. Sequens de petitis ut vir cum licentia uxoris initietur, & de revocatione viri cum ea licentia promoti, non ſervatis aliis jure requiſitis. Mox alia ſubſequens de obligatione uxoris in ſæculo relictæ ad ſervandam caſtitatem, & de ejus habilitate ad validum matrimonium ineundum, defuncto viro ad ordines promoto. Ultima, de requiſitis ut vir ad Epiſcopatum, Cardinalatumve aſcendat. Præſens ergo diſputatio continet tres quæſtiones. I. eſt, an viro liceat ad ordines tranſire, abſque uxoris licentia expreſſa & ſpontanea? II. de revocatione viri ſic promoti. III. de obligatione ipſius viri revocati.

Quæſtio I. An vir poſſit ad ordines tranſire abſque uxoris li- 2
centia expreſſa & ſpontanea? Hac in re certiſſimum eſt conjugatum nec ante nec poſt conſummatum matr. poſſe ad ordines ſacros aſcendere abſque ſpontanea uxoris licentia. Id enim eſt expreſſe definitum de matr. indiſtincte, *c.Conjugatus, de converſ. conjug.* & explicando etiam ante matr. conſummatum *Extrav. Antiquæ, Joan.22. de voto.* Et ratio eſt, quia per ordinis ſacri ſuſceptionem non dirimitur matr. ratum, ut definitur in ea *Extrav.* Atque ſubinde præjudicium fieret mulieri, abſque ejus licentia ordine aſſumpto, ac mutato ſtatu. Hoc autem intellige uxore non adulterante. Nam ea adulterante virum innocentem poſſe ad ordines tranſire ipſa invita defendemus contra alios lib.10. diſp.11. n.16.

Nec liceret viro ante matrimonium conſummatum abſque u- 3
xoris licentia ad ordines tranſire, quamvis animum haberet tranſeundi ſtatim ad religionem: ſed id eſſe lethale peccatum conſtat ex *Extrav. Antiquæ, Joan. 22. de voto*, ibi: *Diſtrictius inhibentes, ne quiſquam durante matrimonio, nondum etiam conſummato, aliquem de ſacris ordinibus præſumat ſuſcipere, niſi prout ſacris canonibus noverit convenire.* Ubi *gl. verb. Noverit*, ait, nempe, petita licentia uxoris cum voto caſtitatis. Cum ergo jura non ſint contenta ſolo animo viri ingrediendi religionem, ut ad ordines promoveatur, ſed petant aliquas conditiones; (ut diſp. ſequenti videbimus) qui ſolo eo animo promoveretur, contraveniret illi extravaganti verbis rigidiſſimis utenti, gravemque ſtatuenti pœnam, ac in re magni momenti: ac proinde non evaderet culpam mortalem. Adde facillimo negotio mutari animum, ac conſummari matrim. & tunc nullum ſupereſſe remedium: cederetque in gravem ordinis ſacri injuriam. Et ita ſuſtinent *Petr. de Ledeſ. de matrim. qu.53. art.4. dub.1. quod movet circa primum ſtatum conjugati. Manuel 1.tom. ſum. in 2.edit. c.224. n.3. Vega 2.tom. ſum. cap. 34. caſu 48.*

Imo nec ex Pontificis ſummi licentia poterit conjugatus 4
ante matrimon. etiam conſummatum ad ordines promoveri, abſque uxoris licentia, quia nequit Pontifex juri uxoris derogare. Ita docent *Palud. 4. d.27. q. 3. ar.3. n.22.* Sed illi fidem non habeo. Tum, quia poſſet Pontifex diſpenſare in eo matrimonio rato ut dirimeretur. Tum etiam, quia ſola continentia ordini ſacro annexa obſtaculo eſt promotioni conjugati ad ordines. At cum illa ſolo jure Eccleſiaſtico annexa ſit ordini (ut defendimus hoc l.7. diſp. 27. n. 5.) poſſet Pontifex in ea diſpenſare. Quare poſſet conjugatus ex Pontificia diſpenſatione, etiam poſt matrim. conſummatum ad ordines ſacros promoveri abſque uxoris conſenſu. Sola enim conſtitutio Eccleſiaſtica id vetat.

Sed ſpecialis difficultas eſt, an poſſit vir ad primam tonſuram 5
& or-

& ordines minores promoveri abſque uxoris licentia? Nam *c.1. de cler. conjug.* ſolum interdicitur, ne conjugatus ad ordines ſacros promoveatur. Et *c.Conjug. de converſ. conjug. & extrav. Antiquæ, Joann.22. de voto*, ubi ſimiliter prohibetur promotio viri ad ordines, ſermo eſt de ordinibus ſacris. Nullatenus ergo interdicitur ipſi promotio ad ordines minores. Quod enim de uno negatur, de alio conceſſum intelligitur, *c. Qualis, d.25.* Adde etiam ordinibus minoribus non eſſe annexam continentiam. Quæ ſola promotione viri ad ordines ſacros obſtat. Et ita poſſe hunc ad ordines minores promoveri ex juſta cauſa, docent *Innoc. eo. c. Conjugatus, ſtatim in princ. & ibi Hoſt. n.1. Henric. n.6.* dicens textum contrarium, n. ſeqq. allegandum intelligi, niſi ex juſta cauſa Epiſcopus diſpenſaret: & ita credo alios DD. citatos intelligere, id licere diſpenſante Epiſcopo. Quorſum enim juſtam cauſam peterent, ubi nulla diſpenſatio in præcepto aliquo deſideraretur? Unde dicunt *Innoc. & Hoſt. ibi*, non eſſe petendum votum continentiæ ab hoc conjugato ad ordines minores aſcendenti. Et hoc eſt probabile.

6 Sed tenendum eſt tanquam multo probabilius, nec ad primam tonſuram promoveri poſſe abſque uxoris licentia, ſervatis aliis, quæ jura poſtulant in uxore ad promotionem viri ad ordines: de quibus diſp. ſeq. ſermo erit. Probatur ex *c. fin. de temp. ord. in 6.* ibi: *Nullus Epiſcopus, vel quivis alius clericalem præſumat conferre tonſuram conjugato, niſi volenti religionem intrare, aut ad ſacros ordines promoveri, prout eſt ſacris canonibus definitum.* Ubi *gl. verb. Definitum*, ait, dic ut notatur *c. Conjug. de conver. conjug.* ubi petitur licentia uxori cum voto caſtitatis ipſius manentis in ſæculo, unde ait *Abb. ſtatim allegandus*, textus contrarios n. præc. allegatos, qui de ſolis ordinibus ſacris mentionem fecere, intellexiſſe ordines ſacros ample, ita ut minores & primam tonſuram ſub ſe ambiant. Sed melior ſolutio eſt, illos textus ſolam promotionem ad ſacros ordines interdixiſſe: at *d. c. fin. de tempor. ordin. in 6.* prohibuiſſe quoque promotionem ad ordines minores, & primam tonſuram. Nec argumentum a contrario ſenſu ex aliis textibus deductum, alicujus eſt momenti: cum ad argumentum nihil probet, quando inde alterius juris correctio reſultat, ut late probat *Everard. in ſuis top. loco a contrario ſenſu.* Et ita hujus ſent. ſunt *gl. d. c.fin. verb. Definitum, & ibi Dominicus n.6. idem gl. d. c.Conjugatus, verb. Ad ſacros, & ibi Jo Andr. n.3. Ant. n.1. Abb. n.2. Card. qu.1. Anchar. n.2. Idem Jo. Andr. c. 3. n.1. de cler. conjug. & ibi Ant. num. 5. Abb. n.3. Anchar. n 3. Card. qu.1. Imola n.1. Brunel. de ſponſ. concl.30. n.16. Ant. Cuc. l.4. inſtit. major. t. 12. nu.197. Azor. l.13. inſt. moral. c.13. qu.7. Majol. lib.1. de irreg. c. 34. nu. 1. Lancelot. inſtit. juris canon. lib. 2. tit. de divor. §. His exceptis, verb. Ad ſacros.*

7 Intellige etiam ſi nondum conſummatum ſit matrim. Quia quoad promotionem ad ordines, nil refert an ſolum ratum, an etiam matrim. conſummatum ſit. Ita docent *Joan. Andr. c. Conjugatus, n.1. de converſ. conjug. & ibi Card. q.3. Enric. num.6.*

8 Unde ab hoc conjugato volenti ad primam tonſuram aſcendere, ultra requiſita ex parte uxoris, de quibus diſp. ſequenti agam, exigendum eſt votum continentiæ. Quamvis enim a non conjugato promoto ad minores id votum non petatur, ſecus eſt de conjugato. Quod ille poſſit a clericatu reſilire ac uxorem ducere: & ideo non debet beneficio juris privari, petito ab eo continentiæ voto: hic autem non poteſt ad primam tonſuram promoveri, niſi velit quoque ad ſacros ordines aſcendere, ut conſtat ex *c. fin. de tempor. ordin. in 6.* & ideo ne contingat eum ante ſacrorum ordinum ſuſceptionem redire ad uxorem, alligandus eſt continentiæ voto. Sic *gl. c. Epiſcopus, verb. Sequeſtrato d. 77. Jo. Andr. c. Conjugatus, n.4. de converſ. conjug. ibi Ant. n.3. Abb. n.5. Card q.2. Anchar. n.2.*

9 Nec poteſt etiam conjugatus hic ad primam tonſuram promoveri, niſi velit quoque ad ordines ſacros aſcendere, ut conſtat ex *c.fin. de tempor. ordin. in 6.* & docent *Jo: Andr. d. c. Conjugatus, n.3. & ibi Ant. n.3. Abb. n 2. Anch. num.2. Card. quæſt.1.*

10 Ad arg. nu.5. propoſita conſtat ex dictis nu. 6. ubi ad eos textus reſpondi, & quamvis ordinibus minoribus non ſit annexa continentia, & ideo ex hac parte non repugnet eos aſſumi poſt conjugium: at repugnat propter ſpecialem juris prohibitionem.

11 Quæſtio II. An vir abſque ſpontanea uxoris licentia ad ordines promotus, poſſit ab ea revocari? Supponendum eſt uxorem poſſe quadrupliciter ſe habere. Primo, concedendo licentiam ſpontaneam & expreſſam, & de hoc eſt ſermo adhibendus duplici diſp. ſeq. Secundo nullam concedendo licentiam, quia aut viri promotionis ignara fuit, vel illius conſcia contradixit. Tertio, concedendo licentiam, metu tamen vel dolo extortam. Quarto ſciendo promotionem viri, & nec contradicendo, nec conſentiendo, ſed tacendo & diſſimulando. Et de his tribus modis eſt diſputatio præſens. Et quidem quando uxor contradixit vel ignara fuit, ac proinde nulla habita eſt licentia, nemo dubitat integrum eſſe uxori illum ad conſortium conjugale revocare. Quod illi non potuerit vir præjudicare. Idque expreſſe definitur *Extrav. Antiquæ* XXII. *de voto*, quando matrim. nondum eſt conſummatum, nedum quando jam conſummatum eſt: niſi ante conſummationem placeat viro ad religionem tranſire.

Imo ſi vir abſque licentia uxoris ad ſummum eveheretur 12
Pontificatum, poteſt ab ipſa revocari, ut ei teneatur debitum reddere. Cum enim hoc ſit jus juſtitiæ prius, non potuit lædi per Pontificatum, quantumvis bona fide aſſumptum, eo quod uxor mortua crederetur. Ita docent *gl. cap. Si quis pecunia verb. Non Apoſtolicus d.79. & ibi Arch. ad fin. & ibi Turrec. cit. Hugon. ar.3. n.12. Jo. And. c. Conſtitutus, in fin. de conver. conjug. & ibi Ant. fin. Abb. fin. Anch. fin. d. Abb. Uxoratus in fin. eod. t. & c. Licet de vitanda n.4. de elect. Henric. c. Conjug. n.3. de converſ. conjug. Monald. ſum.* ubi de voto *t. de voto conjug. verſ. Item ſi vir ſuſcepit ordinem, Aſtenſis ſum. 2. p. t. 8. c.22. ar.2. q.1. D.Ant. 3.p. t.1. c.8. fin. Sylv. Matrimonium 8. c.12. d.3. Suppl. ſumm. Piſanæ verb. Impedimentum, imped. 11. n.2. Majol. l.1. de irreg. c.34. n.3.* Quamvis Doctor quidam, quem refert tacito nomine *Bellam. d. c. Si quis pecunia in fine*, ſenſerit minime reſtituendum eſſe uxori, nec teneri ei reddere debitum, quod ob majus commune bonum uxor privanda ſit abſque culpa jure ſuo: & ipſe cogitandum relinquit. Sed tenendum eſt quod dixi.

Idem dicendum eſt, quando licentia uxoris metu viri con- 13
ſtantis aut dolo gravi extorta, vir ad ordines promotus eſt. Quippe ut uxor jure ſuo repetendi privetur, licentia ſpontanea deſideratur, ut de licentia uxoris, ſic extorta ad profeſſionem viri, probavimus hoc 7. lib. diſp.35. nu.1. & 9. non auferri uxori jus revocandi, & ita docent *Sylv. verb. Divortium q.17. d.4.* ubi *Armilla n.13. Ant. Cuc. l.4. inſtit. major. t.12. n.194. Azor lib.13. inſtit. moral. c.14. q.12.*

Major autem difficultas eſt, quando ſpontanea uxoris diſ- 14
ſimulatio interfuit, quæ conſcia promotionis viri ac potens commode reclamare, nec conſenſum nec diſſenſum præſtitit, ſed diſſimulando tacuit? Qua in re quidam aſſerunt non eſſe integrum uxori revocare, ſed cenſeri vovere continentiam. Ita *gl. c. Quia ſunt, verb. Fuiſſe, d.28. & ibi Archid. n.fin. Dominic. ad finem, Turrecr. n.4. Hoſt. ſum. tit. de voto, §. Utrum, & per quem nu.18. verſ. Igitur ſi conjugatus, Aſtenſum 2.p. l.8. t.22. art.2. quæſt. Monald. ſum.* ubi de voto, *tit. De voto conjugatorum, verſ. Item licet alicui. Henric. c. Uxoratus nu.12. de converſ. conjug. Aretinus conſ.59. num.8. Palud. 4. d.37. qu.1. art.1. n.9. Regula leg.40. t.6. part.1. & ibi Greg. Lopez, verb. Tenudas, D.Ant. 3.part. t.1. cap.8. fin. Supp. ſum. Piſan. verb. Impediment. imedim. 11. n. 2.* Temperant *Henr. Monald. & D. Anton. ibid.* quando uxor fuit conſcia juris ſtatuentis quid ipſa efficere debeat viro promoto ad ordines cum ejus conſenſu. Tunc enim tacens, cum commode reclamando eſſet, videtur conſenſum præſtare, & ad ea efficienda ſe aſtringere, quæ jus facienda præcipit. Et hæc ſent. eſt probabilis.

Sed verius eſt, nullum ex ea diſſimulatione uxori præ- 15
judicium generari, ſed jus ſuum viri repetendi illæſum manere. Quia ad rem tam arduam jura non contenta ſunt uxoris diſſimulatione, quæ varias interpretationes patitur, nec ſignum apertum licentiæ eſt, ut expreſſe definitum eſt *c. Conſuluit, de converſ. conjug.* quando vir profitetur uxore diſſimulanti, & diximus hoc 7.l. diſp.35. num.13. Et ita in propriis terminis docent *Sylv. Armil. Anton. Cuc. Azor, cit. num.13.*

Sed dubitabis, an uxore non repetente poſſit vir ad ſacros 16
ordines abſque ejus licentia promotus, ad ipſam redire? Doctores negantes poſſe profeſſum abſque uxoris licentia, ad ipſam non repetentem redire, quos retuli hoc l.7. diſp. 34. n.14. a fortiori id negabunt in hoc caſu. Et quamvis ea diſp.34. n.15. defenderim poſſe eum profeſſum redire ad uxorem non repetentem: at contrarium exiſtimo de viro ſic ad ordines ſacros promoto. Quia ea profeſſio non fuit valida: at ordo ſuum omnem valorem habuit: & Eccleſia ordini caſtitatem, in quantum potuit, annexuit: ac proinde cenſetur omnem facultatem redeundi ſua ſponte ademiſſe initiato, ſalvo tamen jure uxoris ad revocandum. Et ita ſolum tenebitur dolum, & vim illatam movere, ſignificando uxori animi ſui promptitudinem ad conjugale conſortium ipſa volente. Quod ſi uxor repetere nolit, non erit ei integrum ad eam redire.

Quæſtio ultima, ad quid aſtringendus ſit vir abſque licen- 17
tia expreſſa ac ſpontanea uxoris ad ordines promotus, & ab ipſa revocatus? In duplici caſu poteſt quæſtio hæc agitari. Prior eſt, quando promotio ad ordines ſacros facta eſt nondum conſummato matrim. Poſterior, quando conſummato matrim. Et in priori caſu, quibuſdam (& ſatis probabile eſt) placuit eum teneri ingredi religionem: ut vel ſic poſſit votum ordini ſacro annexum implere. Quod probant rationes omnes, quas l. 9. diſp. 34. nu. 2. referam ad probandum teneri eum, qui poſt votum caſtitatis uxorem ducit, religionem ingredi, eo quod non poteſt aliter caſtitatem promiſſam plene obſervare, & DD. illic citati multo fortius ſuſtinebunt hanc ſententiam: cum multo ſtrictius obliget votum caſtitatis ordini ſacro annexum: eo vel maxime, quod ordo ſuſceptus ſit, & per conſequens votum caſtitatis illi annexum, emiſſum ſit poſt jam initum matrim. Et ita in terminis docent *Hoſt. ſum. tit. de converſ. conjug. n. 9. verſ. Solutio, Archid. cap. Deſponſatam num 4. 27. quæſt. 2. & ibi Bellamera nu.4. Aſten. 2.p. ſum. l.8. tit.11. art. 2. qu. 5. D.Ant. 3.p. t.1. cap. 8. fin. Azor lib.3. inſtit. moral. cap.14. qu.2. Petr. de Led. de matr. qu.53. art.4. dub.2. quod movet circa primum ſtatum conjugati, concl. un.* Et videntur tenere *Man. 1.t. ſum. 2.edit. c.224. nu.3. & Vega 2. tom. ſum. c.34.*

caſu 48. & dico videri tenere: quia videntur loqui de conjugato, qui ante matrim. conſummationem initiatus eſt, animo ingrediendi religionem.

18 Sed probabilius eſt non teneri ingredi religionem. Id enim fortiter probat textus *Extrav. Antiquæ Joannis 22. de voto*, ibi. *Ad ingreſſum hujuſmodi ſic ordinatum, ſi matrimonium conſummatum non fuerit, per diœceſanum inſtanter moneri præcipimus*. Sentit ergo textus id non eſſe præceptum, ſed conſilium. Id etiam probant rationes, quibus l.9. diſp.34. n.3. & 4. probabo emittentem votum caſtitatis, ſive ante matr. ſive eo inito, nondum tamen conſummato, minime teneri religionem ingredi, ut votum ſervet, & DD. ibi pro ea ſent. allegati tenebunt etiam hanc: eadem enim eſt utriuſque qu. ratio: ut teſtantur *Azor & Petr. de Led. n.præced. alleg.*) Et ita in propriis terminis tenet expreſſe *gl. d. extr. Antiquæ*, ubi *verb. Præcipimus*, ait Epiſcopum teneri admonere ut ingrediatur: ita enim præcipitur ibi in eo textu: & verbo Renuerit, ait ſupponere expreſſe eum textum poſſe ſic initiatum renuere: idem tenet *Lud. Lop. 1.p. inſtruct. c.50. §.Ecce iſte*, & dicit probabile *Petr. de Led. n.præc. alleg.* Et videtur tenere *Enriq. l.12. de matrim. c.5. n.10.* ubi dicit hunc hortandum eſſe ad religionis ingreſſum.

19 Non tenebitur religionem ingredi, quamvis animo ingrediendi religionem initiatus ſit, dummodo id non voverit, ut de vovente caſtitatem, ac poſtmodum matrim. ineunti animo tranſeundi ad religionem, probabo l.10. diſp.34. n.4. eum minime teneri ad ingreſſum.

20 Id tamen certum eſt, hunc initiatum ordine ſacro ante matr. conſummationem, monitumque ut religionem ingrediatur, ac renuentem, reſtituendum eſſe uxori petenti, cogendumque conſummare. Id enim expreſſe definitur *d. extrav. Antiquæ*, non enim potuit in uxoris præjudicium ordine ſacro inſigniri. Imo id eſſet verum, quamvis maritus ante matr. conſummatum in ſummum Pontificem evectus eſſet, nolens enim ad religionem tranſire, teneretur matrim. conſummare. Ita *Archid. c.un. n.3. de voto, in 6. & c. Deſponſatam n.4. 27. q.2. & ibi Bellam. n.4.* Sed id non credo. Poſſet enim Pontifex effectus diſpenſare in eo matrim. rato, ac ſatis urgens cauſa tunc concurrebat: atque ita ſolutus eſſet ab obligatione uxoris. At ſi diſpenſare nolit, teneretur ad uxorem repetentem redire, ac matrim. conſummare. Idque conſtat ex dictis n.12. Vir autem hic reſtitutus uxori tenetur conſummare non petendo, ſed debitum reddendo: & ad reliqua omnia ad quæ ſtatim dicam eum obligari, quando matrim. conſummato initiatus eſt. Quippe eadem prorſus eſt ratio. An vero uxori poſtea fornicanti ſit maritus hic reſtituendus, dixi hoc l.7. diſp.36. n.4.

21 In poſteriori autem caſu, nimirum, quando matrimonio jam conſummato eſt vir ordine ſacro initiatus, ac ab uxore revocatus, dicendum eſt eum teneri reddere. Quia non potuit per ordinem ſupervenientem præjudicare juri exigendi acquiſito ab uxore. At non poteſt petere. Quia obligatur voto caſtitatis annexo ordini aſſumpto, ad abſtinendum in quantum lex matrimonii permittit. Et ita docent *D.Th. 4. d.37. q.1. ar.2. ad 1. & ibi Palud. q.1. ar.1. n.9. Suppl. Gabr. ibi q.un. ar.2. concl.5. Henr. de Gandavo quodlibet 5. q.38. D. Ant. 3.p. t.1. c.8. fin. Sotus 4. d.38. q.1. ar.2. concl.4. Viguer. l. inſt. c.16. §.7. v.9. imped.4. Palac.4. d.37. q.un.concl.3. & d.27. diſp.2. col.24. verſ. Sed quid ſi facta, f.584. Enriq. l.11. de matr. c.15. n.9. & l.12. c.5. in 10. Azor. lib.13. inſtit. moral. c.14. q.1. Valent. 4.p. diſp.10. q.5. punct.3. Petr. de Led. de matr. q.53. art.4. ad fin. concl.2. Bart. a Led. de matrim. dub.64. concl.2. verſ. Nec ſic ordinatus. Emman. Sa ſum. verb. Matrimonium*, ubi de impedimentis dirimentibus, *de impedimento ordinis, n.10. Manuel 1.t. ſum. 2.edit. c.224. n.4. Lud. Lop. 2.p. inſtr.* ubi de matr. *cap.49. col.6. §.Accedit ad hoc, Vega 2.t. ſum c.34. caſu 48. fin.* Et ex juriſperitis, *gl. extrav. Antiquæ, Joan. 22. de voto in fin. Monald. ſum.* de voto, *tit. De voto conjugatorum, verſ. Item ſi vir ſuſcepit ordinem. Aſten. ſum. 2.p. l.8. t.22. a 2.qu. 1.l. reg.40. fin. t.6. p.1. & ibi Monald. gl.unic. Angel Matrim.4. n.11. Supplem. ſum. Piſanæ, v. Impedim. imped.11. n.2. Sylv. Matrim.8. q.12. d.3. Navar. ſum. c.22. n.52. Covar. 4.decret. 2.p. c.6. §.3. nu.2. Gaet. repet. c. Ad limin.30. q.1. §.4. q.195. n.467. Majol. l.1. de irreg. c.4. n.9. & c.34. n.4. Ant. Cuc. l.4. inſtit. major. t.12. n.196. & l.5. t.12. n.222.* Idem dicendum eſt, ſi Græcus conjugatus ſacris initietur abſque uxoris licentia. Quia nec ipſis Græcis id permiſſum eſt. Quare poterit ab uxore revocari, & ſic revocatus non poterit debitum petere: at reddere tenebitur. Sic *D.Th. 4. d.37. q.2. art.2. ad 3. Azor. l.13. inſtit. moral. c.14. q.6.*

22 Sed rogabis, an uxor viro promoto ad ordines abſque ejus ſpontanea licentia, & ſibi reſtituto, petenti debitum, teneatur reddere? Aliqui ex diſcipulis D.Th. (ut refert *Petr. de Led. ſtatim allegandus*) cenſent non ita certum eſſe, uxorem non teneri reddere debitum huic petenti, quod jus juſtitiæ nequaquam amiſerit, ſed ſola religione voti impediatur. Et jura ſolum conceſſerint optionem uxori, velit ne ſervare votum continentiæ a ſe emittendum: an potius libere uti conjugio, viro ſibi reſtituto. Quare uxore hanc partem eligente, jus juſtitiæ ad exigendum debitum manet in viro integrum, quamvis peccet contra voti religionem. Et hanc partem cenſeo probabilem. At verius eſt non teneri. Quoniam vir non ſolum caſtitatis votum emiſit, ſed valide mutavit ſtatum, ac proinde viſus eſt omnino & plene jure ſuo exigendi cedere. Et ideo ita docent *D. Th. 4. d.37. q.1. ar.2. ad 1. Aſtenſis, Suppl. Piſanæ, Syl. Gaeta, Manuel, Vega, n. præced. allegati. Enriq. l.12. de matr. c.5. num.10. Petr. de Led. de matr. q.53. ar.4. fin.* & videtur clare tenere *Azor. l.13. inſt. mor. c.14. q.1.* dicit enim virum recipiendo ordines ſacros ceſſiſſe jure ſuo exigendi debiti. Idem credo de viro juvene uxori reſtituto officio judicis, eo quod licet de ejus licentia fuit profeſſus, non tamen ipſa votum caſtitatis emiſit: juxta dicta hoc l.7. diſp.33. n.18. Quia (ut ibi dixi n.4.) valuit profeſſio: ac proinde valide mutato ſtatu ceſſit profeſſus ille jure exigendi: & jura ſolum uxori, cui ob periculum incontinentiæ jubent eum reſtitui officio judicis, reddunt jus exigendi, cui renunciarat concedens licentiam profeſſionis emittendæ. At quando invalida fuit profeſſio, quia non intervenit ſpontanea conjugis licentia, credo teneri uxorem ei reddere, ad ſe revocato. Quia mutatio ſtatus fuit irrita: & proinde juris ceſſio non valuit. Quod conſentaneum eſt iis, quæ diximus hoc 7.lib. diſp.34. n.15. & 16. ubi diximus poſſe hunc propria auctoritate exire, ac conjugem in ſæculo relictum repetere.

Tandem dubitatur, an ſi vir ſacris initiatus abſque uxoris licentia, ab ipſa revocetur ad conſortium conjugalem, valide tranſire poſſit ad alias nuptias ea defuncta? *Goffred. c. Quidam, de converſ. conjug.* affirmat. Quia matrim. contractum a profeſſo, poſt uxoris obitum, abſque cujus licentia profeſſus eſt, & ab ipſa revocatus fuit, eſt validum: quamvis contrahendo peccarit. 23

Ceterum omnino dicendum eſt id matrimonium eſſe irritum. Eſt enim diverſa ratio de ordine, & de illa profeſſione. Quia profeſſio fuit irrita, & ideo virtute dirimendi matrimonii caruit. At cum ordo ſacer omnino valuerit, atque ejus characteri annexum ſit ab Eccleſia votum caſtitatis, per quod ſubſequens matrim. dirimitur, non potuit validum eſſe id matrim. contractum poſt ordinem ſacrum vere ſuſceptum. Et ita docent *Innoc. c. Placet n.un. de conv. conjug. & ibi Hoſt. n.pen. Jo. Andr. n.4. Ant. nu.9. Abb. n.7. Anchar. ad fin. Card. n.3. q.3. Henr. n.3. idem Anchar. c. Quidam, in fine, eodem tit. Francus c.un. n.3. de voto, in 6. Aſtenſis 2.p. ſum. 18. tit.11. ar.2. p.9. Brunel. de ſponſ. concl.30. n.3. Angelus Matrim.4. n.14. Suppl. ſum. Piſanæ, verb. Impediment. imped.11. n.2. Gaeta repetit. c. Ad limina 30. q.1. §.4. qu.195. n.467. Ant. Cucus l.4. inſtitutionum majorum, tit.12. n.196. Barboſa rubr. ff. ſolut. matr. 2.p. n.89. & 101. Enriq. l.11. de matrim. c.15. nu.9. fin. Lancel. inſtitut. juris canon. l.2. tit. De divortiis, §. His exceptis, verb. Ad ſacros. Ant. Gom. in expoſit. bullæ Cruciatæ, clauſ.10. n.69.* 24

DISPUTATIO XXXIX.

An ſola uxoris licentia poſſit vir ad ordines promoveri, quidve amplius deſideretur: & ea ſola licentia promotus, poſſit ab ipſa uxore revocari?

SUMMARIUM.

Quot quæſtiones diſputantur, n.1.
Quid deſideretur ut vir licite ad ordines promoveatur? Referuntur quatuor ſententiæ, n.2. 3. 4. 5.
Proponitur ſententia Auctoris, 6.
An deſideretur licentia Epiſcopi? 7.
An poſſit vir licite ſacris initiatus habitare cum uxore? & explicatur c. volumus, d.81. n.8.
Satisfit argumentis, 9.
An vir ſola uxoris licentia promotus, abſque aliis jure requiſitis, poſſit ab ipſa revocari? Refertur duplex ſententia, n.10. & 11.
Proponitur ſententia Auctoris, & ad quid cogenda ſit hæc uxor, quæ licentiam dedit, & ad quid teneatur hic promotus ad ordines revocatus, 12.
Solvuntur argumenta, 13.

Diſputatio præſens duplicem quæſtionem agitandam poſtulat. Prior eſt, de requiſitis ut vir licite ad ordines promoveatur ex uxoris beneplacito. Poſterior, de revocandi facultate, deficientibus jure petitis in licentia ab uxore præſtita. 1

Quæſtio prior. Quid deſideretur ut vir, habita uxoris licentia, licite ad ordines promoveatur? Deciſio pendet ex intelligentia *c. Conjugatus, de conver. conjug.* ibi: *Nullus conjugatorum eſt ad ſacros ordines promovendus, niſi ab uxore continentiam profitente fuerit abſolutus.* Quintuplex eſt ſententia. I. ait nunquam deſiderari ingreſſum uxoris in religionem, ſive ſenex, ſive junior ſit: ſed ſatis eſſe in utroque eventu, ut caſtitatem in ſæculo voveat, idque neceſſarium eſſe, nec ſolam uxoris licentiam abſque prædicto voto ſufficere. Ducitur, quia videtur expreſſa deciſio textus *d. cap. Conjugatus*, ubi nulla mentio facta eſt ingreſſus uxoris juvenis in religionem, ſed ſolius caſtitatis voti, cum tamen quando neceſſarius eſt prædictus ingreſſus, ut ad viri profeſſionem, jura id expreſſerint, *c. Cum ſis, c. Ad Apoſtolicam, c. Uxoratus, de conv. conjug.* Et confirmatur, quia eſt diverſa ratio inter hos caſus. Quia dum in ſæculo vir ad ordines promovetur, tenetur neceſſaria alimenta uxori ſubminiſtrare, *c. Omnino, diſt.31.* Quare aufertur uxori occaſio vagandi & incontinentiæ ob alimentorum 2

num penuriam. Inſuper poteſt uxorem incontinentem corrigere ac punire, quæ omnia ceſſant viro profitente, cum bonorum & liberi arbitrii proprietatem careat. 2. quia conjugati poſſunt in ſæculo manere, communi voto continentiæ ab ipſis emiſſo, in quo eventu carent facultate petendi & reddendi. Cur ergo non poterunt in ſæculo vitam traducere, uxore ligatam voto caſtitatis, viro autem ad ordines ſacros promoto, atque iis communi placito effectis? Et hæc ſent. eſt valde probabilis: ac eam ſuſtinent *gl. c. Epiſcopus, v. Sequeſtrato 77. d. & c. Quia ſunt, v. Nec religioſam, 28. d. & extrav. Antiquæ, Jo. 22. de voto, v. Noverit, & d. c. Conjugatus, v. Continentiam*, disjunctive loquitur relata hac opinione, & ultima hic referenda: & hanc primam refert in ultimo loco. Et eodem modo loquitur *gl. c.1. v. Caſtitatem, de cler. conjug.* eamdem ſequuntur *Hoſt. ſum. t. De conv. conjug. n.5. Henr. d. c. Coniugatus, n.5. & 8. Monal. ſum.* ubi de voto, *t. de voto conjugat. verſ. Item licet aliqui, Brunel. de ſponſ. concl.30. n.6. Supplem. ſum. Piſanæ, v. Impedim. impedim.11. n.2. Turrecr. c. Epiſcopus, n.un. d.77. Gaeta repet. c. Ad limina, 30. q.1. §.4. q.195. nu.467. Majol. lib.1. de irreg. c.34. nu.3. verſ. In aliis autem, Franc. Marcus deciſ.734. n.2. p.2.* Et videtur tenere *Emman. Sa in ſua ſumm. v. Divortium, n.4.* ubi ait virum poſſe ad ordines promoveri, uxore promittente in ſæculo caſtitatem. At id non faciendum, niſi illa ſenex ſit.

3 II. Sent. ait nullum votum deſiderari in uxore, ſed ſatis eſſe, ſi norit virum ſuum ad ordines aſcendere. Pro hac ſent. poſſet citari *gloſſ. c. Quia ſunt, in fin. d.28.* ſed revera tantum vult *gloſſ. ibi*, ut bene explicat *Archid. ibi, nu.4.* ut id ſufficiat, non quo vir licite promoveatur, ſed ut ex ordine ſic a viro recepto præjudicium generetur uxori. Sed hanc ſententiam expreſſe tenet *Angel. Matrim.4. n.8.* Qua autem ratione ducatur, me prorſus latet.

4 III. Sententia ait, ſemper ſatis eſſe votum continentiæ uxoris manentis in ſæculo, nec illud ſemper exigi, ſed ſolum, quando uxor eſt juvenis & ſuſpecta de incontinentia, quare ſi ſenex ſit, vel alias extra incontinentiæ ſuſpicionem, non eſſe opus eo voto. Ita *Nav. lib.3. conſ. in poſteriori edit. tit. De conv. conjug. conſ.13. n.5. & 6.* Idque probat, quia ſicut ſe habet introitus uxoris in religionem ad introitum mariti profiteri volentis, ita votum continentiæ uxoris ad ordines viri. Quia ſicut in priori caſu ſufficit ille introitus, ita in poſteriori hoc votum. At quando uxor eſt ſenex, non obligatur ingredi religionem, ut vir profiteatur. Ergo nec tunc tenetur continentiam vovere, ut vir ad ordines promoveatur.

5 IV. Sent. ſic diſtinguit, ſi uxor ſit juvenis & ſuſpecta de incontinentia, opus eſt ut religionem ingrediatur, quo poſſit licite vir ad ordines promoveri: ſecus ſit juvenis ſit, ſed non ſuſpecta, tunc enim ſatis eſt votum caſtitatis in ſæculo: quamvis ad profeſſionem viri ſemper neceſſaria ſit profeſſio uxoris juvenis. Quia in uxore juvene id expreſſe petitur ad viri profeſſionem, *c. Uxoratus, cap. Cum ſis, c. Ad Apoſtolicam, de conver. conjug.* At ad viri ordines id non petitur *dict. c. Conjugatus, eod. tit.* ſed ſolius voti continentiæ uxoris mentionem facit textus. Ita ſentiunt *Jo. Andr. eod. c. Conjugatus, in fin. & ibi Anchar. fin. Card. q.4. idem Card. cap. ex parte, el.1 num. un. oppoſit. unic. verſ. Sed pro intellectu, de converſ. conjug.*

6 Ultima ſent. (quam ceteris probabiliorem exiſtimo) ſic diſtinguit. Si uxor eſt ſenex non ſuſpecta de incontinentia, ſufficit votum continentiæ ipſius in ſæculo, ſecus ſi juvenis, tunc enim deſideratur ingreſſus ipſius in religionem. Sicut diſtinguunt textus *c. Uxoratus, c. Cum ſis, c. Ad Apoſtolicam, de converſ. conjug.* ut vir ingrediatur religionem. Quare ſentent. hæc idem prorſus petit in uxore, ſive ut vir profiteatur, ſive ut ad ordines aſcendat. Probatur ex *c. Epiſc. d.77.* quod eſt deſumptum ex *Concil. Agathenſi, cap.16. & 17.* ibi: *Sane ſi conjugati juvenes conſenſerint ordinari, etiam uxorum voluntas ita requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo, religione promiſſa, poſtea quam pariter converſi fuerint, ordinentur.* Nec valet expoſitio *gl. ibi, v. Religione, & Turrecr. ibi n.un.* qui exponunt nomine religionis promiſſæ intelligi caſtitatem. Quia videtur ea expoſitio ad libitum. Præterea, quia ſi uxor juvenis profeſſi compellitur ingredi religionem: a fortiori uxor promovendi ad ordines. Quippe facilius poteſt clericus ſæcularis uxorem inviſere, & conſervato priſtino amore ea familiariter utetur: unde potentiſſimo periculo incontinentiæ exponentur: & tantum aberit ut moraliter loquendo ipſe vir clericus factus uxorem inviſens ejus incontinentiam corrigat, ut potior occaſio incontinentiæ ſit ipſemet ejus curam gerens. Præterea, quia uxor juvenis quantumvis caſta, eſt incontinentiæ periculo expoſita manens in ſæculo: eo quod mulieres inconſtantes & facile volubiles ſint, *cap. Forus, ad fin. de verb. ſignif.* Non ergo credendum eſt, jus canonicum voluiſſe ut ea manenti in ſæculo vir ad ordines promoveretur. Et ideo hujus ſent. ſunt ex Juriſperitis, *gl. cap. Si ſe, v. Separentur diſt.18. & in duplici alio loco* (ut n.2. retuli) poſuit disjunctive hanc opinionem, & primam eodem n.2. relatam *Innoc. c. Conjugatus, in fin. de conver. conjug. & ibi Hoſt. in fin. Ant. fin. Abbas n.4. idem Hoſt. c.2. n.1. de cler. conjug. & ibi Ant. n.7. idem Abbas c.1. n.6. de conv. conjug. Domin. c. Si ſe, d.28. in fin. Præp. cap. Quia ſunt, d.28. Aſtenſ. 2.p. ſum. l.8. t.11. ar.2. q.5. Turrecr. c. Si mulier, ar.2. n.2. d.28. Roſel. v. Impedim. imped.11. init. Silv. v. Divortium, quæſt.17. d.2. & Matrim.8. q.12. d.4. Arm. v. Divortium, n.11. Tabien. Matrim.1. q.3. n.4. Navar. ſum. c.22. n.52. Lex regia 38. fin. t.6. p.1. Greg. Lop. ibi v. Muy vieja: & lib.2. v. En orden, t.10. p.4. Covar. 4. decret. 2.p. c.6. §.3. n.3. An. Cucus lib.5. inſtit. major. t.12. nu.223.* Et ex Theologis videtur expreſſe ſentire *D. Th. 4. d.37. q.1. ar.2. ad 2.* ubi ait, uxorem de cujus licentia vir ordinem ſacrum ſuſcipit, teneri perpetuam continentiam vovere: non tamen teneri religionem ingredi, ſi ſibi non timeat de incontinentiæ periculo. Ejuſque verba tranſcribit *Viguer. l. inſtit. c.16. §.7. verſ.9. impedim.4.* & ita videntur ejuſdem ſent. & eam expreſſe ſuſtinent *Albert. Magn. 4. d.37. ar.4. Palud. 4. d.32. q.2. a.2. n.19. & ibi Majoris, q.2. §. Pro illa rubr. Sot. 4. d.27. q.1. ar.4. col.12. verſ. Præterea contra eamdem 1. concl. & ad fin. a. verſ. Quod hic de ſeparatione, & d.39. q.1. ar.2. concl.2. Angl. Flor. 1.p.* ubi de matrim. *q.1. de eſſential. ipſius, d.27. ar.3. diffic.9. Palac. 4. d.27. diſp.2. col.24. paulo ante verſ. Sed quid ſi facta. Ovand. 4. d.27. q. un. fin. Enriq. lib.12. de matrim. c.5. n.10. Cordub. ſum. q.178.* (cum quadam tamen limitatione, quam ſtatim impugnabo) *Valent. 4. d. diſp.10. q.5. pun.3.* ubi de impedim. voti, *in fin. Azor lib.13. inſtit. moral. c.14. q.11. & cap.13. q.7. Petr. de Ledeſm. de matrim. q.53. ar.4. in dub. quod movet circa 2. ſtatum conjugati, concl.2. & q.64. ar.4. dub.1. concl.7. Bart. a Led. de Sacram. ordin. dub.14. col. ult. Lud. Lop. 2.p. inſtr. de Matrim. c.49. col.6. verſ. Adde etiam.* Temperat *Cordub. ſum. d. q.178.* ut intelligatur hæc ſent. quando vir poſt conſummatum matrim. eſt ad ordines promovendus: ſi enim nondum conſummatum ſit, dicit in omni eventu deſiderari tranſitum uxoris ad religionem. At profecto fundamento deſtituta eſt hæc limitatio, nec rationem differentiæ invenio, & ideo tenenda eſt in utroque caſu ſententia tradita.

Inſuper eſt neceſſaria licentia Epiſcopi: ita ut ea non interveniente maneat illæſum matrim. & poterit vir revocari. Ita docet *Majol. lib.1. de reg. c.4. nu.9.* Duciturque per *cap. Si vir & uxor, 27. q.2.* Sed eam minime deſiderari, probavi hoc 7. lib. diſp.32. n.3. & ibi explicui *id c. Si vir & uxor.* 7

Sed dubitabis, an vir ſacris initiatus ex legitima uxoris licentia, manentis in ſæculo cum voto caſtitatis, poſſit ſimul habitare cum uxore? Id enim concedit Symmachus Pontif. & refertur *cap. Volumus, d.81.* ibi: *Volumus ut ſacerdotes prohiberi debeant, nec cum mulierib. converſentur, excepta dumtaxat matre, vel ſorore, vel uxore.* At contrarium decidi videtur *c. Epiſcop. d.77.* ibi: *Sequeſtrato manſionis cubiculo, Turrecr. eodem c. Volumus, n. unic.* refert aliquos velle deciſionem ejus textus referre ad antiqua tempora, quibus ſacris initiati utebantur licite matrim. inito. Sed jure optimo eos reprehendit, eo quod verba mox ſubjuncta *eodem c. Volumus*, aperte adverſentur huic expoſitioni dum ſubjungitur, uxorem caſte regendam eſſe. Quare ea diſtinctione utendum eſt; ſi illi conjuges ſuſpecti ſint, nullatenus ſunt permittendi ſimul habitare: ſecus ſi ſuſpecti minime ſint, tunc enim ſatis eſt cubiculum ſequeſtrare. Quippe Apoſtoli ſecum adducebant uxores, ut eis miniſtrarent, *c. Omnino d.21.* Ita docent *gloſſ. dict. c. Epiſcopus, v. Sequeſtrato: & dict. c. Volumus, in fin.* ubi *Hugo, & ibi Arch. n. unic. Domin. n. unic. Turrecr. n. unic. Abbas c. Coniugatus, n.5. de converſ. conjug. Franc. Marcus dec.734. n.6. p.2.* Addunt (& bene) *Hugo, Arch. Domin. & Turrecr.* etiam ſi ſuſpicione careant, non eſſe eos permittendos in eodem lecto, aut in eadem camera eſſe, ſed ſolum in eadem domo. Imo exiſtimo moraliter loquendo nec in eadem domo habitare permittendos eſſe, quamvis ex ſe id ſit licitum. Quia moraliter loquendo non vacabit magno incontinentiæ periculo: aut ſaltem non levem anſam iniquæ ſuſpicionis & ſcandali præbebit. 8

Ad arg. n.2. propoſita conſtat ex dictis n.6. ubi adduximus *c. Epiſcop. d.77.* prohibens promotionem viri ad ordines, niſi uxor juvenis profiteatur: ibique probavimus textus diſtinguentes ad profeſſionem viri inter uxorem juvenem & ſenem, e fortiori habere locum, ut vir manens in ſæculo ad ordines promoveatur. Quare juxta hanc diſtinctionem eſt accipiendum *c. Conjugatus, de conv. conjug.* dum ſolius voti caſtitatis uxoris meminit ad viri promotionem: intelligitur enim, quando uxor eſt ſenex, nec de incontinentia ſuſpecta. Et hinc conſtat ſolutio primi argum. & confirmationis. Ad 2. dic, longe diverſam eſſe rationem. Quia ubi uterque voto ſimplicis caſtitatis, communi conſenſu emiſſo, periclitaretur de incontinentia, eſſet facile diſpenſationis remedium: & ideo id permittitur, at ubi jam vir in ſacris eſſet conſtitutus, nullo pacto expediret diſpenſare ut ad uxorem rediret. Et ſi argumentum vim aliquam haberet probaret pariter integrum eſſe viro ad religionem tranſire, de licentia uxoris juvenis promittentis in ſæculo continentiam. Ad argum. n.4. propoſitum reſp. negando eam ſimilitudinem. 9

Quæſtio poſterior, An vir ad ordines promotus ſola ſpontanea uxoris licentia, abſque aliis jure requiſitis, poſſit ab ea, aut ſaltem ex judicis officio, ad conſortium conjugale revocari? Et poſſe hunc profeſſum revocari, tenent *Sotus 4. d.27. qu.1. ar.3. concl.12. paulo ante verſ. Et per hæc ſolvitur: Barth. a Ledeſ. de ſacram. ordinis, dub.14. col. ult.* & nullam reddunt rationem. At ea poteſt reddi. Quippe cum jure præſcripta ad legitimam viri promotionem ſervata non ſint, licentia ab uxore promotionis præſtita non obſtabit juri ipſius ad revocandum. Et confirmatur ex *cap.1. de converſ. conjug.* ubi revocatur ex licentia uxoris profeſſus, quod illa non voviſſet caſtitatem: prout jure præſcribitur. 10

Alii vero dicunt, uxorem conſentientem cenſeri ſe ad caſtitatem 11

tatem obligare: ac proinde tenentur dicere non ſupereſſe illi jus revocandi. Cum jus non habeat ad cohabitationem, vel ut ſibi reddatur debitum: eo quod communi conſenſu ſe ad caſtitatem aſtrinxerint, ac vir ſtatum mutarit. Quamvis ex Doctoribus, quos referam, ſoli *Card. & Palud.* explicent non habere uxorem jus revocandi. At omnes, quos referam, dicunt cenſeri uxorem obligatam ad continentiam, carereque uſu conjugii ad quod conſequitur carere quoque jure revocandi, Ita docent ex Theologis *D. Thom. 4. d.36. q.1. ar.2. & ibi Ricar. ar.2. q.2. corp. Palud. q.1. ar.1. n.9. & d.32. q.2. ar.2. n.19. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 8. fin. Viguer. lib. inſt. c.16. §.7. verſ.9. imped. 4. Veracr. 1. p. ſpecul. ar. 37. concl. 5. Azor. lib. 13. inſtitut. mor. c. 14. q. 1. Manuel 1. t. ſum. 2. edit. c. 224. n. 3.* Et ex Juriſperitis, *Card. cap. Conjugatus, in fin. de conv. conjug. & ibi Henr. n. 5. Domin. c. Quia ſunt, d. 28. ad fin. & ibi Turrecr. n.4. idem Turrec. c. Si mulier, ar. 1. n. 1 d. 28. Aſtenſ. ſum. 2. p. l. 8. t 22. art. 2. q. 1. Silveſt. Matrim. 8. q.12. dict. 3. Major. lib. 1. de irregul. c. 34. n. 4.*

12 Sed mihi placet hæc diſtinctio, ſi uxor conſenſum præſtitit, non ignara juris ſtatuentis quid ipſa efficere debeat, ut vir legitime promoveatur ad ordines, nullatenus revocabitur vir ejus ſolo conſenſu promotus ad ordines: ſecus ſi id jus ignoravit. Ita docent *gl. c. Seriatim, v. Poſt mortem, d. 32. Henr. c. Uxoratus, n.12. de conv. conjug. Angel. matr. 4. n.9.* Et ratio eſt, quod quando jus ignoravit, non cenſeatur votum continentiæ emittere, nec ad illam ſe obligare: ac proinde jus concedit revocationem, quando uxor incontinentiæ periculum patitur, ut conſtat ex *c. 1. de conver. conjug.* ubi ſtatuitur virum de uxoris licentia profeſſum, ad ipſam revocandum: eo quod nullo illa caſtitatis voto ſe ligarit. At quando uxor dicti juris conſcia fuit, eo ipſo quod licentiam conceſſit, cenſetur vovere caſtitatem. Sicut in omnino ſimili, nempe, in viro profeſſo de licentia uxoris in ſæculo abſque voto caſtitatis manentis, probavimus hoc 7. lib. diſp. 33. n. 14. juxta ſaniorem ſent. poſſe virum revocari, quando uxor concedens licentiam, jus ignoravit, ſecus quando ſcivit, & in hoc poſteriori eventu cenſeri illam vovere caſtitatem. Hæc autem revocatio viri ad uxorem, quæ juris ignara licentiam conceſſit non fit jure actionis competentis uxori: eo quod actione privetur per licentiam, quam ſponte conceſſit: ſed ex officio judicis: qui ne uxoris continentia periclitetur, poteſt virum non ſervata forma jure præſcripta ad ordines promotum revocare ad uxorem. Sicut juxta veriorem ſent. idem diximus de profeſſo ex ſimili uxoris licentia, hoc 7. lib. diſp. 33. n. 18. Quod docet in propriis terminis *Angel. Matrim. 4. n. 9.* Quare ſicut ea diſp. 33. n. 24. & 27. diximus uxorem, quæ juris conſcia dedit viro licentiam profitendi, cogendam eſſe ad profitendum, ſi juvenis erat, aut ſuſpecta de incontinentia, ſi autem ſenex, & non ſuſpecta, cogendam eſſe vovere caſtitatem. Ita in hoc eventu dicendum eſt, retenta ſent. quam n. 6. amplexi ſumus, dicent hoc deſiderari ad legitimam viri promotionem ad ordines: & ita docent *Azor lib.13. inſt. mor. c. 14. q. 11.* Cum tamen ſit valde probabile (ut n. 2. diximus) ſufficere ad ordines viri, ut uxor, qualiſcumque ſit, voveat continentiam: erit ſimiliter valde probabile, ad hoc ſolum cogendam eam fore. Tandem hic ad ordines promotus de licentia uxoris, & ad ipſam revocatus ex officio judicis tenebitur reddere, non tamen poterit petere. Sicut diſp. 33. n. 6. id diximus de ſimili profeſſo. At uxor non tenebitur ei reddere, ut probavi diſp. præc. n. 22.

13 Ad argum. & confir. num. 10. propoſita conſtat ex dictis n. præc. Probant enim quando uxor juris ignara fuit revocandum virum ex judicis officio, & ſic intelligitur ille textus.

DISPUTATIO XL.

An uxor, cujus licentia vel diſſimulatione vir ad ordines ſacros promotus eſt, ita teneatur ad caſtitatem, ut viro defuncto nequeat validum matrimonium inire?

SUMMARIUM.

An uxor, quæ voto emiſſo dedit licentiam viro ad ordines, poſſit eo mortuo, valide matrimonio copulari? Refertur quædam opinio, n. 1.

Refertur ſententia Authoris, tam inter Latinos, quam inter Græcos, 2.

Impugnata ratione ab aliquibus tradita, ponitur vera hujus ratio, 3.

An id procedat, quando uxor licentiam non conceſſit? 4.

Quid, ſi diſſimulavit, vel fuit metu aut dolo extorta licentia? 5.

Quid, ſi uxor non voveat caſtitatem, ſed ſolum licentiam concedat? 6.

Quid, ſi uxor jus ignorabat? 7.

1 IN hac diſp. quibuſdam placuit, uxorem quæ voto caſtitatis emiſſo licentiam conceſſit viro ordinis ſacri aſſumendi, non reddi inhabilem matr. ineundo poſt viri obitum: ſed ſolum eam peccare contra votum. Et ratio eſt, quia cum id votum ſimplex ſit, impedit quidem, ſed non dirimit matr. ſubſequens. Ita cenſent aliqui antiquiores, teſte *gl. cap. Si ſe, fin. d. 28.* & textus oppoſitum probantes explicant, quando mulier profeſſa eſt. Idem ſecutus eſt *Sotus l 7. de juſt. q. 5. ar. 3. in ſolut. ad 2. in fin.* ea ſola ductus ratione, quod non ſit cur id votum efficiatur ſolemne: non tamen meminit textuum oppoſitum decidentium.

2 Verum dicendum eſt, id matr. fore irritum. Id enim probat textus, *c. Quia ſunt, d. 28.* quod eſt *D. Greg. Pontif. l. 2. ep. 59.* ubi eſt caſus uxor conſcia promotionis viri ad ordines, mortuo viro jam facto Diacono, ad alias nuptias tranſiit, & ait. *D. Greg.* ibi: *Si in conjugio diaconi mulierem, de qua agitur, fuiſſe conſtiterit, ii qui male ſociati ſunt disjungantur.* Ubi *gl. v. Fuiſſe,* ait ſupple, & ipſum ordinatum uxore ſciente, &c. *Si ſe, d. 28.* quod eſt ex Concil. Aurel. ibi: *Si ſe cuiquam mulier duplici conjugio presbyteri vel diaconi relicta, conjunxerit, ſeparentur.* Colligitur etiam ex *c. Si qua vidua, d. 28.* quod eſt ex Concil. Martini Pont. & ex *c. Seriatim, in fin. d. 32.* quod eſt deſumptum ex Leone Pontif. contra Epiſt. Nicetæ Abbatis. Et ultra omnes DD. n. ſeq. allegandos, qui hoc tanquam certum ſupponentes, diſputant de ejus ratione, tenent *Hoſt. c. Ad Apoſtol. n. 1. de conv. conjug. Jo: And. c. Cum ſis, ad fin. eod. t. & ibi Ant. fin. Franc. c. un. n. 3. de voto, in 6. Turrecr. c. Seriatim, ar. 4. n. 7. 32.* & dicit eſſe rem certam, *Azor lib.13. inſtit. mor. c.14. q.11.* Et idem eſt apud Græcos quia licet illi non promittant continentiam reſpectu præſentis matrim. at promittunt reſpectu futuri. Sic *gl. c. Quoniam, v. Continentes, d. 28. Gaeta repet. c. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 469. contra Archid. eod. c. Quoniam, in fin.* dicentem non habere locum apud Græcos, quod ipſi ad ordines promoti minime voveant continentiam.

3 Diſcrepant autem DD. in hujus ratione reddenda. Quidam enim id evenire dicunt, quod vir & uxor actiones communicent, *c. Martinus, de cognat. ſpirit.* Atque ſubinde ex ſolemni voto tacite emiſſo a viro in ſacris ordinis ſuſceptione, redundat per actionum communicationem, ut uxoris votum ſimplex efficiatur ſolemne. Ita docet gloſſa aſſerens id poſſe dici, *cap. Seriatim, v. Poſt mortem, d. 32. Hoſt. cap. 1. in fin. de conv. conjug. & ſum. eod. tit. n. 3.* ubi *Goffr. in ſum n. fin. Abb. c. Conſtitutus, n. 7. eod. t. Arch. c. Quia ſunt, n. 3. d. 28. & ibi Domin. in fin. Aſt. 2. p. ſum. l. 8. t. 11. ar. 2. q. 9. & t. 22. ar. 2. fin. l. reg. 40. t. 6. p. 1. & ibi Greg. Lop. v. Que ha en ſi la orden, Gaeta repet. c. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 469.* Et ex Theologis *D. Bonav. 4. d. 3. in expoſit. lit.* limitans quando licentia conceſſa eſt in conſpectu perſonæ publicæ. *Palud. 4. d. 38. q. 2. ar. 5. n. 31. concl 1. D. Anton. 3. p. t. 1. c. 8. fin.* Sed hanc rationem probavi hoc 7. lib. diſp. 32. nu. 8. Et ideo legitima ratio cur hoc matrim. irritum ſit, non eſt votum ſimplex uxoris effici ſolemne per actionum communicationem; ſed quia Eccleſiaſtica conſtitutio ob reverentiam ordinis aſſumpti a viro, & licentia uxoris voventis caſtitatem, reddidit eam ad ſubſequens matrim. inhabilem. Sic ait poſſe dici *gl. c. Seriatim, v. Poſt mortem, d. 32.* & tenent *gl. c. Si ſe, in fine, d. 28. Hoſt. ſum. t. de voto, §. Utrum, & per quem, nu. 18. verſ. Igitur ſi conjugatus.* Et hanc quoque rationem reddit *l. reg. 40. proxime alleg.* Et in hanc partem declinare videntur *Monald. ſum.* ubi de voto *tit. de voto conjugatorum, verſ. Item ſi clericus eſt Occidentalis, Azor lib.13. inſtit. mor. c. 14. q. 11.* relata enim utraque ſententia, hanc referunt in ultimo loco.

4 Aliqui hoc extendunt, ut ſit irritum quoque matrim. uxoris poſt obitum viri contractum, quando vir ea reluctante eſt ſacris initiatus. Sic tacito nomine refert aliquos ſentire *Azor lib. 13. inſt. mor. c. 14. q. 11.* Quod rationi valde diſſonum eſt. Ratio enim minime patitur, ut ex viri delicto, contra ejus voluntatem promoti, id detrimentum uxori innocenti ſubſequatur. Quare merito *D. Th. 4. d. 37. q. 1. ar. 2. ad 4.* dixit non videri ad aliquid uxorem obligandam, abſque cujus conſenſu vir promotus eſt. Et *gl. cap. Quia ſunt, d. 24. v. Fuiſſe,* intelligit eum textum irritantem matrimonium uxoris, quando ejus conſenſu ſaltem tacito vir initiatus eſt.

5 Alii id extendunt ad uxorem, quæ nec expreſſe conſenſit, nec diſſenſit, ſed conſcia promotionis viri ad ordines diſſimulavit, eo quod tunc cenſeatur vovere continentiam. Ita docent *gl. c. Quia ſunt, v. Fuiſſe, d. 28. & ibi Arch. n. fin. & ibi Domin. ad fin. Hoſt. ſum. t. de voto, §. Utrum & per quem, nu. 18. verſ. Igitur ſi conjugatus, Henric. c. Conjugatus, n. 5. de conv. conjug. Aſtenſ. 2. p. ſum. l. 8. t. 22. ar. 2. q. 2. Supplem. ſum. Piſanæ, v. Impedim. imped 11. n. 2. Turrecr. c. Si mulier, ar. 1. n. 1. in ſolut. ad 1. & in fi. totius ar. d. 28. lex reg. 40. tit. 6. p. 1.* Idemque cum hac limitatione, quando uxor ſcivit jus, tenent *Henr. c. Uxoratus, n. 12. de conv. conju. D. Ant. 3. p. t. 1. c. 80. fi. Gaeta repet. c. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. q. 195. n. 469.* Sed hoc non credo, exiſtimoque uxorem diſſimulantem id non pati detrimentum. Sic nec pateretur concedens licentiam dolo vel metu extortam: Sola enim diſſimulatio in re tam ardua non reputatur conſenſus: nec juri uxoris præjudicat, ut probavi diſp. 38. n. 15.

6 Id tamen concedo his DD. quando mulier conſenſum præſtitit promotioni viri, quamvis nullum emitteret votum caſtitatis. Redderetur enim inhabilis ad aliud matrimonium. Quia textus *c. Quia ſunt d. 28.* id matrimonium irritans non meminit voti: nec hæc irritatio ex voto provenit, ſed ex Eccleſiæ conſtitutione (ut n. 3. probavimus) Et ita docet *gl. dict. cap. Quia ſunt, in fin.* & a fortiori DD. allegati n. præced.

7 Tandem omnia prædicta temperant quidam Doctores volentes ut tunc matrim. ineundo reddatur inhabilis uxor promotioni conſentiens, quando fuit conſcia juris reddentis eam inhabilem, & adhuc conſenſum præſtitit, ſive cum voto, ſive abſque voto. Non enim rationi conſonat uxorem hujus ſibi detrimenti ſubſecuti ex illius licentiæ conceſſione, illud perpeti. Et ita docent *Hoc. c. 1. de conv. conju. in fin. & in ſum. eod tit. n. 3. &*

ibi

ibi Goffr. in ſua ſum. in fin. Aſtenſ. 2. p. ſum. l. 8. t. 11. ar. 1. q. 9. & t. 22. ar. 2. fin. Gaeta repet. c. Ad limina, 30. q. 1. §. 4. n. 469. & eſt opinio pia, ac probabilis. At verius eſt, id procedere quamvis uxor juris ignara eſſet. Quia textus indiſtincte loquuntur, præterea, quia non video rationem, cur ad hoc impedimentum dirimens deſideretur ſcientia juris, cum id non proveniat ex voluntate uxoris, ejuſque voto, ſed ex jure Eccleſiaſtico (ut num. 3. diximus) Et in ceteris impedimentis dirimentibus ea ſcientia non deſideratur. Ita *D. Bonav. 4. d. 37. in expoſit. lit. Turrecr. c. Seriatim, ar. 4. n. 7. d. 32.* & in hanc partem inclinat, licet dubius, *Greg. Lop. l. 40. v. Non vale, t. 6. p. 1.*

DISPUTATIO XLI.

Quid exigatur, ut integrum ſit marito ad Epiſcopi aut Cardinalis dignitatem jure promoveri?

SUMMARIUM.

Quid exigatur, ut vir fiat Epiſcopus? Refertur quædam opinio, num. 1.

Proponitur ſententia Authoris, 2.

An ſi uxore vovente in ſæculo caſtitatem, cum vetula ſit, vir profiteatur, & jam profeſſus, ſit in Epiſcopum promovendus, deſideretur uxorem profiteri? 3.

Quid exigatur, ut vir fiat Cardinalis? 4.

1 QUidam cenſent idem ſufficere, ac neceſſarium eſſe, ut maritus ad Epiſcopi dignitatem promoveatur: quod ſufficit, & neceſſarium eſt, ut vir tranſeat ad religionem, nimirum, ſi uxor ſit ſenex, ut voveat caſtitatem in ſæculo: ſi tamen juvenis, ut tranſeat ad religionem. Ita cenſent *gloſ. c. Sane, in fin. de converſ. conjug. Sot. 4. d. 27. q. 1. ar. 4. ad fi. in verſ. Quod hic de ſeparatione, Angles Floribus, 1. p.* ubi de matrim. *q. 1. de eſſential. ipſius d. 27. ar. 3. diffic. 9. & ad dict. c. Sane,* petens ad id ingreſſum uxoris in religionem reſpondet *gl. finalis, ibi,* intelligi de uxore juvene, & eſt probabile.

2 Sed multo verius eſt, ſemper eſſe neceſſariam profeſſionem uxoris in religione, ut poſſit vir ad Epiſcopatum promoveri. Id enim videtur decidi *c. Sane de converſ. conjug.* ibi: *Prohibemus ne uxoratum præſumatis in Epiſcopum ordinare, niſi uxor prius profeſſa continentiam, ſacrum ſibi velamen imponat, & religioſam veſtem vel vitam aſſumat.* Et ratio eſt, propter ordinis Epiſcopalis excellentiam, & ut auferatur occaſio, ut Epiſcopus viſitetur a feminis. Et ideo hanc ſent. ſuſtinent, ex juriſperitis, *gl. c. Si ſe, v. Separentur, d. 28. & cap. Quia ſunt, v. Nec religioſam, d. 28. Innoc. cap. Cum ſis, in fin. & c. Conjugatus, n. un. de conv. conjug. Hoſt. ſum. eod. tit. nu. 5. & c. Ad Apoſtolicam, n. 1. & c. Sane, in fin. de conv. conjug. Jo: Andr. d. cap. Conjugatus, in fi. & d. c. Sane, nu. 3. & ibi Ant. num 3. Abbas num. 2. Card. num. 2. q. 1. Anchar. ad fin. idem Abbas c. 1. n. 9. eod. tit. idem Card. c. Ex parte, el. 1. n. un. oppoſ. un. verſ. Sed pro intellectus, eod. t. Henr. d. c. Conjugatus, n. 4. Domin. cap. Si ſe, n. un. d. 28. Monal. ſum.* ubi de voto, *t. De voto conjugatorum, verſ. Item licet aliqui dixerint, Roſella, v. Imped. imped. 11. init. Angel. Matrim. 4. nu. 8. Suppl. ſum. Piſanæ, v. Impedim. imped. 11. ad fin. Silv. Matrim. 8. q. 12. dict. 4. & v. Divortium, q. 17. dict. 2. Armil. ibi, num. 11. Tabien. Matrim. 2. q. 3. n. 4. Turrecr. c. Si mulier, ar. 2. num. 2. d. 28. Covar. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 3. n. 3. Brunel. de ſponſ. concl. 30. num. 7. fi. Greg. Lop. lib. 2. v. En ord. t. 10. p. 4. Gaeta repet. c. Ad limina 30. q. 1. §. 4. q. 16. n. 468. Ant. Cucus lib. 5. inſt. major. t. 12. n. 223. & l. 4. t. 12. num. 193. Fr. Marcus dec. 734. num. 6. par. 2. Majol. lib. 1. de irreg. n. 34. n. 2.* Et ex Theologis, *Major. 4. d. 32. q. 2. §. Pro illa rub. Palac. q. 4. d. 27. diſp. 2. col. 24. verſ. Sed quid ſi facta, fol. 584. Azor lib. 3. inſtit. mor. c. 13. q. 7. Pet. de Led. de matrim. q. 64. ar. 4. dub. 5. concl. 6. Lud. Lop. 2. par. inſtr.* ubi de matrim. *c. 49. col. 6. verſ. Adde etiam.* Et eſt commune placitum.

3 Hinc infertur, viro effecto religioſo, uxore vetula manente in ſæculo cum caſtitatis voto, ſi vir ad Epiſcopatum provehendus eſſet, neceſſarium fore ut uxor illa religionem ingrediatur, conſtat ex dictis n. præced. & docet *Anch. c. Sane, ad fin. converſ. conjug.*

4 Tandem dubitatur, quid deſideretur, ut poſſit maritus ad Cardinalis dignitatem promoveri? *Jo: And. c. Sane, in fin. de converſ. conjug.* indeciſum reliquit, ut Pontifex ſtatueret: additque honeſtum fore ut idem ſervetur, quod nu. 2. diximus exigi, ut vir Epiſcopus crearetur: nimirum, ut qualiſcumque ſit uxor, religionem ingrediatur. Quod Cardinales in ſuis titulis habeant benedictionem quaſi Epiſcopalem, ut notant *c. His quæ de major. & obed.* & illum omnino ſequuntur *Ant. eod. c. Sane, in fin. Abbas num. 3. Card. in fin. Anchar. fin.* Sed *Majol. lib. 1. de irreg. c. 34. n. 2.* quæſtionem hanc decidit, aſſerens ſemper deſiderari ingreſſum uxoris in religionem. Sed exiſtimo non amplius deſiderari, quam ad ordines a viro aſſumendos, quod non inveniam textum aliquid ſpeciale in hoc caſu decidentem: nec rationem, quæ ad aliud ſentiendum cogat.

DISPUTATIO XLII.

Utrum per contractum matrimonii validum amittat clericus in minoribus conſtitutus beneficia?

SUMMARIUM.

Per ſponſalia non amittit clericus beneficia, nec illis eſt privandus, num. 1.

Quando beneficia non vacant ipſo jure, poteſt beneficiarius lite pendente, antequam privetur, ipſa reſignare, non obſtante, quod alius ea impetrarit, ſi clericus iis privetur. Et non obſtante ea impetratione, ſi Epiſcopus poſſet diſpenſare, ut ille obtineret beneficium, non impediretur ea diſpenſandi facultas, 2.

An beneficia vacent per matrimonium, non expectata judicis ſententia? Refertur quædam opinio, 3.

Proponitur ſententia authoris, 4.

Vacant beneficia, quamvis matrim. non ſit conſummatum, 5.

Nec recuperat ea ſponſa profitente, 6.

Admittuntur etiam jus ad rem, acceſſus & regreſſus ad beneficia, 7.

Quid, ſi illegitimus, aut alias inhabilis impetraret diſpenſationem ad beneficium, vel quiſquam ad plura, an mox iniens matrim. perdat valorem diſpenſationis, itaut ipſi facto viduo non proſit? Refertur quædam opinio, 8.

Sententia Authoris traditur, & qualiter diſpenſatio non conferat jus ad rem, 9.

Clericus valido matrimonio copulatus peccat mortaliter, ſi retineat beneficium, 10.

Poſſunt ejus beneficia, tanquam vacantia, ſtatim impetrari, & alteri conferri, 11.

Si retineat beneficium, tenetur fructus reſtituere, 12.

Nec poteſt illud reſignare in favore alterius, 13.

Conjugatus eſt incapax beneficii, & laicus quamvis ſtatim initiandus, 14.

An hic recipiens beneficium, aut alii inhabiles juventur regula de triennali poſſeſſore? 15.

Quid, ſi conjugatus voveat caſtitatem, an tunc ſit beneficii capax? n. 16. & ibi, an ſit capax, quando uxor adulteranti ad ordines promovetur.

An poſſit Epiſcopus diſpenſare, ut conjugatus obtineat beneficium? Refertur quædam ſententia, 17.

Proponitur ſententia Authoris. Et explicatur cap. Joannes, de clericis conjugatis. 18.

Solvuntur argumenta. Et enodatur c. Si quis vero, diſt. 32. c. Quia tua, 12. q. 1. n. 18.

1 HActenus egimus qualiter ordo impedimentum præſtet matrimonio, illique ſupervenire poſſit. Jam diſputandum occurrit de damnis, quæ clericus ad matrim. tranſiens incurrit. Inter quæ principem locum obtinet beneficiorum amiſſio. Et præſens diſputatio tractat qualiter amittantur, quando matrim. eſt validum: ſubſequens autem, quando eſt irritum. In præſenti ergo diſp. conſtat apud omnes beneficia nequaquam amitti per ſponſalia de futuro. Quia ſicut per adoptionem poſterioris beneficii incompatibilis prius minime vacat, dum plene non eſt poſterioris obtenta poſſeſſio, *c. Commiſſa, de elect. in 6.* ita per ſponſalia, quæ ſtatum plene incompatibilem non inducunt, ſed ſolum via ſunt ad illud comparandum, non vacant beneficia. Atque ita docent *Jo: And. c. 1. n. 1. & c. Joan. n. 23. de cler. conjug. Ant. eod. cap. 1. n. 6. & eod. cap. Joan. num. 19. Abbas eod. cap. 1. n. 5. Anch. eod. cap. 1. ad fin. & eod. cap. Joan. n. 14. Card. eo. c. 1. num. 2. q. 2. & d. cap. Joan. n. 8. q. 11. Imol eo. cap. 1. n. 4. & eod. c. Joan. num. 24. & Clem. Gratiæ, num. 24. de reſcrip. Henricus c. de diverſis, num. 10. de cler. conjug. Franc. cap. un. in princ. n. 3. de cleric. conjug. in 6. & ibi Domin. in princ. n. 3. Anch. num. 1. not. 1. Philip. Prob. ibi, addit. ad Monachum num. 10. Gygas de penſionib. qu. 54. num. 7. Staphil. de lit. gratiæ, ubi de variis modis vacationis 5. vocationis modo nu. 5. Bern. Diaz pract. can. in nova edit. cap. 80. num. 6. & ibi Salzedo in addit. v. Beneficia, Rebuff. de pacif. poſſeſ. num. 187. & praxi benef. reg. de publ. reſignat. gl. 18. num. 40. Bernard. Capra repet. Clem. Gratiæ de reſcrip. num. 45. Roſel. v. Clericus 4. num. 22. Silv. Beneficium 3. qu. 22. Armil. v. Beneficium, num. 20. Tab. Benef. 2. q. 12. n. 14. Bermondus de publ. concub. §. Qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit, num. 2. Aufrerius dec. Tholoſ. 240. num. 3. Navar. ſum. c. 25. Hiſp. num. 119. Lat. num. 120. Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 3. n. 4. Menoch. de ſucceſſ. creat l. 3 §. 12. nu 47. Julius Clar. l. 5. recep. §. fin. in pract. crim. q. 73. num. 3. Ant. Gabr. to. 1. commun. in mea edit. l. 2. fol. 67. v. Beneficiatus, Perez lib. 5. ordin. t. 1. l. 1. f. 4. §. Tamen ſponſalia, Maſcar. de prob. concl. 182. num. 1. & ult.* Et ex Theologis, *Azor. lib. 13. inſtitut. moral. cap. 13. q. 6. & 8. Emman. Sa ſum. v. Beneficium, num. 24. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. cap. 30. fin. Vega 1. tom. ſum. c. 36. caſ. 20. §. Aloſexto, Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 256. col. 5. §. Interim iſthinc pullulat.* Et 2. *p. cap. 46. de matrim. paulo ante tit. de impedim. conſanguinitatis.* Additque ſecundum omnes privandum eſſe hunc clericum beneficiis. Sed neminem invenire potui id dicentem: nec eſt verum. Quia nec eſt textus id probans; nec ratio id ſuadens. Cum hic minime delinquat, & nondum ſtatum incompatibilem aſſumpſerit.

2 Difficultas autem eſt, quando clericus validum matrim. init, an eo ipſo beneficium amittat, an potius ſententia judicis privans deſideretur? Magni enim effectus eſt, utrum horum dicamus. Si enim ipſo jure vacent beneficia, nullatenus poterit contrahens matrim. ea renuntiare. Ea quippe eſt regula, ut privatus

ipſo

ipſo jure beneficio, non poſſit in favorem alicujus reſignare. Quod nullum jus in id beneficium ipſi ſuperſit. Et ita multis citatis, & aſſerens eſſe omnium, ut docet *Flam. lib. 3. de reſign. benef. q. 1. n. 21. & duplici ſeq.* At ſi non ipſo jure vacent, donec privetur, poterit ante privationis ſententiam, adhuc lite pendenti ea in alterius favorem renuntiare. Nam privandus per ſententiam beneficio, ut qui eo adepto homicidium admiſit, aut aliam irregularitatem contraxit, poteſt lite adhuc pendenti ante ſententiam reſignare in favorem tertii. Quia donec privetur, eſt ſuum beneficium illud, ut cum *gl. cap. 2. v. Finita, ut lite pendenti*, tradunt *multis aliis allegatis*, *Rebuff. de pacif. poſſeſſor. n. 261. Covar. Clem. Si furioſis, de homic. 2. §. 3. num. 7. Flamin. de reſign. benef. l. 3. q. 16. n. 8. Enriq. lib. 13. de excomm. c. 56. n. 4. Zavallos in ſuis q. pract. q. 147. n. 7.* Et ita hanc differentiam in his terminis clerici beneficiarii inventis matrim. docent *Bernard. Diaz. pract. can. in nova edit. c. 80. num. 5. Zavallos eadem q. 147. n. 6.* Et videndus eſt omnino *Flamin. d. q. 16. per totam*, ubi latiſſime de hac reſignandi facultate tractat. Imo ſi poſſet Epiſcopus diſpenſare, ut ille delinquens retineret id beneficium, id utique poſſet, non obſtante quod alias a Pontifice id beneficium impetrarit, poſt delinquentis privationem ſibi conferendum: ſicut & ipſe delinquens poſſe non obſtanti ea impetratione reſignare in favorem tertii. Quia impetrans non obtinuit ſimpliciter illud beneficium, ſed ſub ea conditione, ſi homicida, aut alius delinquens illo privaretur. Quam privationem impedivit diſpenſatio Epiſcopi, aut ipſius delinquentis reſignatio. Ita docet *aliis citatis*, *Covarr. eadem n. 7.*

3 Hoc ergo ſuppoſito, quidam ajunt per contractum matrim. validum non vacare ipſo jure beneficia, ſed expectandam eſſe judicis ſententiam. Sic videtur ſentire *gl. c. Conjugatus, v. An ſacros, de converſ. conjug.* ubi dicit clericos in minoribus conſtitutos ineuntes matrim. debere beneficiis privari. Et tenent expreſſe *Alex. Carrer. lib. 3. de ſponſal. cap. 3 Manuel. 1. tom. ſum. 2. edit. c. 224. n. 1.* Et poteſt probari, quia communis ſentent. habet non vacare beneficium ante ſententiam quamvis canon ſtatuat ipſo jure amitti: addatque abſque alia declaratione. Ut poteſt videri apud *Cov. 4. decr. 2. p. c. 6. §. 8. n. 10.* Secundo ex *c. 1. de cleric. conjug.* ibi: *Si qui clericorum infra ſubdiaconatum acceperint uxores, ipſos ad relinquenda beneficia Eccleſiaſtica, & retinendas uxores, diſtrictione Eccleſiaſtica compellatis.* Et *cap. Quod a te, eod. tit.* ibi: *Beneficiis ſunt privandi.* Quibus textibus videtur aperte decidi, hunc clericum non eſſe per matrim. beneficiis ipſo jure privatum, ſed privandum. 3. quia inhabilitas medio tempore ſuperveniens non nocet, ſi habilitas in principio adfuit, *l. Sed ſi in conditione, §. Solemus. ff. de hæred. inſtit.* Sicut obtinens beneficium ante irregularitatem, non id deperdit, illa ſupervenienti, & reddenti inhabilem ad tunc obtinendum. Cum ergo clericus ille fuerit habilis tempore, quo obtinuit beneficium, non ipſum lædendum dicemus ratione conjugii, quod inhabilem efficit ad tunc obtinendum. Tandem, quia *cap. Si qui vero, d. 32.* quod reperitur *cap. Quia tua, 12. qu. 1.* & eſt D. Greg. dicitur, clericos in minoribus conſtitutos, qui continere nequeunt, in matrimonium collocandos eſſe, & ſtipendia ſua accepturos.

4 Nihilominus certiſſimum eſt, per contractum matrim. validum vacare ſtatim ipſo jure beneficia illius clerici in minoribus ordinibus conſtituti contrahentis. Ratio autem potiſſima ea eſt, quod hoc minime ſtatutum ſit in pœnam delicti, ut ſic ſententia judicis deſideretur: nullum enim delictum eſt, hos matrim. inire: ſed id conſurgit, eo quod ſe vinculo incompatibili cum beneficio ſponte ſua innodet: ac proinde eo ipſo per ſpontaneam dimiſſionem illud videtur repudiare. Contrario enim facto, jure proprio ceditur, *l. 1. C. de furtis, l. Quod in hærede 9. §. Eligere, ff. de tribut. actione.* E contrario renuntiatur beneficio, & tanquam derelictum habetur, *c. Ex tranſmiſſa, de renunc. & c. Cum renuntiatur 32. q. 1.* Præterea quia ex tacita conditione cenſetur clericus obtinere beneficium, ne ſtatum incompatibilem eo retento aſſumat. Quare eo aſſumpto deperditur ſtatim beneficium, tanquam conditione deficienti. Et ideo ita ſuſtinent *gl. c. un. v. Clericalis, de cleric. conjugatis, in 6. & ibi Jo: Andr. n. 3. Anch. in 5. q. 2. & n. 1. notab. 1. Prob. addit. ad Monachum, ibi n. 10. Domin. ibi, in princ. n. 3. Franc. ibi, in prin. n. 3. idem gl. c. 1. v. Relinquenda, de cler. conjug. & ibi Jo: Andr. n. 6. Ant. n. 7. Abbas n. 4. & 5. Anch. n. 2. not 2. Card. n. 2. oppoſ. 1. & q. 2. Imola n. 4. Idem Jo: Andr. c. Jo: eo. tit. n. 23. & ibi Anton. n. 19. Anch. n. 14. Card. n. 8. q. 11. Imola n. 24. Idem Ant. c. Conjugatus, n. 2. de conver. conjug. Speculat. tit. de cleric. conjugat. §. unic. in fin. Goffr. ſum. eod. tit. n. 1. Hoſt. ſum. eod. tit. n. 1. Henric. c. Quod a te, n. 5. & c. Diverſis, n. 2. eod. tit. Archid. c. Placuit, in fin. d. 32. & ibi Domin. in fin. Imol. Clem. Gratiæ, n. 25. de reſcrip. Pariſius conſ. 40. n. 3. vol. 4. Aimon de antiquit. p. 4. §. Videamus, num. 14. Jo: Lup. rubr. de donat. inter vir & uxor §. 55. n. 7. Deciſio Tholoſana 240. ibi Auferius n. 2. Bened. Capra Clem. Gratiæ, n. 45. de reſcrip. Tiraq. de retract. lign. §. 26. gl. 2. n. 9. Rebuff. de pacif. poſſeſ. n. 187. & praxi benef. reg. de public. reſig. gl. 18. nu. 38. Roſel. Silv. Armil. Tab. n. 1. alleg. Idem Silv. Cl. 2. n. 2. verſ. peccat. vero in iſtis, Ang. Cleric. 5. n. 1. Bern. Diaz pract. can. in nova edit. c. 80. n. 5. & ibi Salzedo addit. v. Beneficia, Bermond. de public. concub. §. Qui vero ſolutus eſt, n. 2. Gygas de penſionibus q. 54. n. 5. & 6. fin. Lud. Gom. reg. de annali poſſeſ. qu 21. paulo poſt princ. Staphyl. de lit. gratiæ, ubi de variis vacationis modis, in 5. modo, n. 2. Ravennas in comp. juris can. tit. de cler. conjug. Navar. ſumm. c. 25. Lat. n. 120. Hiſp. 119. & c. Quando, de conſecr. d. 1. Lat. c. 21. n 53. lib. 1. conſ. tit. de rennnt. in 1. edit. conſ. 3. n. 1. in 2. conſ. 8. n. 1. Montal. l. 41. gl. un. t. 6. p. 1. & ibi Greg. Lop. v. El beneficio, Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 3. n. 4. Jul. Clarus lib. 5. recept. §. fin. in pract. crim. q. 73. n. 5. Menchaca de ſucceſ. creat. l. 3. §. 22. n. 45. Ant. Cucus lib. inſtit. major. t. 12. n. 215. Perez lib. 5. ordinan. t. 1. l. 1. fol. 4. §. Hinc infertur, Maſcar. de prob. concl. 182. n. 1. & 2. Majol. lib. 1. de irregul. c. 34. n. 5. Spino ſpecul. teſtam. gl. 16. n. 93. Matienzo lib. 5. recop. t. 8. l. 7. gl. 12 n. 2. & t. 1. rub. gl. 1. nu. 158. fi. Guttier. lib. 2. q. pra. q. 104. n. 3. Ant. Gabr. t. 1. commu. in mea edit. l. 2. f. 67. v. Beneficiatus, & l. 3. f. 180. v. Cleric. beneficiatus, Everard. conſ. 111. circa princ. Flam. de reſign. benef. l. 3. qu. 1. n. 28. & l. 4. q. 2. n. 101. & l. 1. q. 1. n. 13. & l. 3. q. 10. n. 2. Zaval. in ſuis q. pract. q. 147. n. 1. Humad. in addit. ad Greg. Lop. l. 41. t. 6. p. 1. n. 2.* Et ex Theologis, *D. Anton. 3. p. t. 1. c. 8. concl. 1. Toledo lib. 4. ſum. c. 18. n. 4. Enriq. lib. 7. de indulg. c. 36. n. 1. comment. lit. G. Azor. lib. 5. inſtit. moral. c. 8. q. 3. & l. 13. q. 6. & 8. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c. 30. n. ult. Lud. Lop. 2. p. inſtr.* ubi de matrim. *c. 49. col. 6. verſ. Sed & tunc, & 1. p. c. 256. col. 4. §. Inſuper & circa fructus, Vivald. candel. ſacram. 1. p.* ubi de matrim. *n. 227. Vega 2. tom. ſum. c. 36. caſ. 2 §. Alo quarto.* Et explicant *Anton. Cucus, & Azor utroque loco allegati* nulla eſſe opus judicis ſententia. Et melius id docent, quos num. 10. referam, aſſerentes hunc peccare, ſi beneficium retineat.

Hoc autem eſt verum, licet matrim. nondum conſummatum 5
ſit. Statim enim ac matrim. per verba de præſenti initur vacant beneficia. Quamvis enim textus *c. 1. de cler. conju.* decidens clericos per matrim. perdere beneficia, loquatur expreſſe de clericis ducentibus uxores, & uxor maxime in materia odioſa intelligatur jam conſummato matrim. at in hoc eventu comprehenditur etiam ſponſa de præſenti nondum cognita. Militat enim eadem ratio: quippe vere eſt aſſumptus ſtatus incompatibilis cum beneficio. Atque ita docent *Jo: Andr. eodem c. 1. n. 1. Hoſt. ibi, n. 2. Ant. n. 7. Abbas n. 5. Anch. ad fi. Card. n. 2. q. 2. Imola n. 4. Archid. c. Placuit, in fi. d. 32. & ibi Domin. in fi. Henric. c. Quod a te, nu. 5. de cler. conjug. Speculat. Jo: Lud. Domin. Franc. Anch. Philip. Probus, Bernar. Diaz Salzedo, Staphyl. n. 3. Gygas n. 5. Covar. Aufrerius, Angelus, Ant. Cucus n. 226. Enriq. Vival. Vega, ubi nu. præced. alleg. ſunt, Silv. v. Clericus 2. nu. 2. verſ. Peccat vero in iſtis, Matien. lib. 5. recop. rubr. t. gl. 1. n. 158. fin. Azor. lib. 13. inſtit. mor. c. 13. qu. 8. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 256. col. 4. §. Inſuper & circa fructus, Navar. ſum. c. 25. Hiſp. n. 119. Lat. n. 120.*

Nec clericus hic recuperat beneficium nondum alteri colla- 6
tum, quamvis ſponſa nondum cognita decedat, aut ad religionem tranſeat. Quod cum ipſum ſemel vacarit, non poteſt ad id abſque nova collatione redire. Jus enim ſemel extinctum non reviviſcit amplius, licet cauſa extinguens ceſſarit, *c. Quam periculoſum 7. q. 1. & c. Quæris, de conſecr. d. 4.* & melius *Clem. Gratiæ, de reſcrip.* ubi habetur cenſeri tacite renuntiatum gratiæ, ut de beneficio curato alicui provideatur, per adeptionem pacificam alterius beneficii incompatibilis, quamvis velit hoc beneficium reſignare. Ubi *gl. v. Reſignaveris*, infert inde gratiam peremptam non reviviſcere, licet res in priſtinum ſtatum redeat. Ita docent *gl. eadem clem. Gratiæ, v. Reſignaveris. Et ibi Card. n. 10. q. 17. Paul. ibi Imola ibi, num. 25. Bonif. ibi in fi. Jo: Andr. cap. 1. num. 2. de cler. conjug. & ibi Abbas n. 6. Ant. n. 7. Anch. fi. Card. fi. Imola n. 4. Enric. c. Quod a te, n. 5. eod. t. Archid. c. Placuit, in fi. d. & ibi Domin. in fin. d. 32. Ibi Domi. cap. unic. in princ. n. 3. de cler. conjug. in 6. & ibi Franc. n. 3. Anch. n. 5. q. 2. Bernard. Diaz, Specul. Gygas num. 8. Aufrerius n. 4. Angel. Silv. Navar. Covar. num. 6. Salzed. Maſcar. num. 4. Azor Lud. Lop. Vival. Vega n. præced. alleg. Jul. Clar. lib. 5. receptarum in pract. crim. §. fi. qu. 73. n. 5. Majol. lib. 1. de irreg c. 34. n. 5. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c. 30. n. ult.*

Admittuntur inſuper per matrim. validum, acceſſus, regreſ- 7
ſus, ac quælibet alia jura ad beneficium Eccleſiaſticum ipſi contrahenti competentia. Vacant enim ſtatim ipſo jure, inſtar beneficiorum. Ut ſi quiſpiam impetravit reſcriptum ad præbendam vacaturam, & antequam vacaret, iniit matrim. ac defuncta uxore vacavit, non poteſt eam petere. Quia cum matrim. ſit ſtatus incompatibilis cum beneficio, per ipſius contractum non ſola beneficia, ſed omnia jura ad illa tanquam derelicta habentur. Idque probatur ex *clem. Gratiæ, de reſcr.* ubi habetur tacite renuntiari gratiæ de beneficio curato alicui conferendo, ſi is ante collationem adipiſcatur pacifice beneficium incompatibile: quamvis illud poſtea reſignarit. Ubi *Anch. n. 6.* reddit rationem, nam ſi per acquiſitionem ſecundi beneficii incompatibilis, vacat Beneficium prius, a fortiori vacabit jus ad illud. Multo enim fortius eſt jus in re, quam jus ad rem, & facilius hoc deperditur, *c. Quemadmodum, de jurejur. l. Servus, cum ibi notatis, C. de pactis:* Et probat bene *Nav. c. Si quando, excep. 6. n. 1. de reſcr.* Sic *gl. c. un. v. Clericalis, de cler. conjug. n. 6. & ibi Jo: Andr. num. 3. verſ. In gl. Huic ergo, Anch. n. 5. quæſt. 2. Domin. in princ. num. 6. Philip. Probus ibi, in addit. ad Monachum, n. 16. Ant. cap. 1. n. 7. de cler. conjug. Henr. c. Quod a te, num. 5 eod. t. Tiraq. de retractu lignag. §. 26. gl. 2. n. 9. Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 3. num. 5. Jul. Clar. lib. 5. recep. in pract. crim. §. fin. q. 73. num. 5. Flam. de reſign. benef. l. 1. q. 1. n. 14. Salzedo addit. ad Bernard. Diaz in pract. cap. 80. §. Admittit etiam Zavallos in ſuis qu. pract. 147. n. 1. Humada addit. ad l. 41. t. 6. p. 1. gl. 2. n. 2. Azor l. 13. inſtit. moral. cap. 13. q. 8. Lud. Lop. 2. p. inſtr.* ubi de matrim. *c. 49. col. 7.* Et neminem diſcrepantem inveni.

Sed

8 Sed quid, ſi illegitimus aut alias inhabilis impetraret diſpenſationem ad obtinendum beneficium, aut quilibet alius ad plura beneficia, eaque impetrat, tranſiret ad nuptias, an illa diſpenſatio caſſa fiat, ita ut diſſoluto matrim. ei minime proſit? *Philip. Probus addit. ad Monachum, c. un. de cler. conju. in 6. a n. 6.* latiſſime defendit extingui diſpenſationem hanc. Quia per matr. extinguitur omne jus ad beneficium, eo quod ſit ſtatus incompatibilis cum beneficio. Extinguitur ergo ſimiliter diſpenſatio ad obtinendum beneficium. Secundo quia privilegium ratione officii conceſſum extinguitur cum officio, juxta doctrinam *Barth. l. Maximarum, Cod. de execut. muner. l. 10.* Tertio, quia conceſſio facta intelligitur rebus in eodem ſtatu durantibus, ut tradit *Monachus, c. Statutum, el. 2. n. 9. de hæret. in 6.* Quarto, quia mutatione perſonæ mutatur privilegium, *l. Per procuratorem, 89. alias incipit, Paulus, ff. de acquir. hæred.* ibi, *Caſtrenſia eſſe mutatione perſonæ deſierunt.*

9 Sed exiſtimo eam diſpenſationem minime extingui, atque ita ſoluto matrimonio poſſe virtute illius obtineri beneficium, aut plura illa beneficia. Ducor, quod per diſpenſationem nullum jus acquiratur, nec in re, nec ad rem, ſed tantum amoveatur impedimentum, quod incapacem, & inhabilem quempiam reddebat, & manet ſubinde capax & habilis, ut optime docet *Monachus cap. de filiis presbyt. in 6. n. 12.* Et fatetur *Philip. Probus addit. ad Monachum, c. un. de cler. conju. in 6. n. 30.* At matrim. non adverſatur omnino capacitati, & habilitati prius obtentæ ratione alicujus impedimenti ad beneficium: ſicut nec adverſatur capacitati naturali, quam habet ad illud, qui nullo impedimento canonico laborat; alias nullus conjugatus eſſet capax beneficii, uxore mortua. Atque ita eſt apertum diſcrimen inter jus ad rem, vel in re, & habilitatem ad beneficia. Prioribus enim juribus adverſatur matrim. ſtatus, eſtque incompatibilis, ac proinde eo aſſumpto tacite illis renunciatur. Secus autem de habilitate. Præterea, quia per diſpenſationem ſemel ablatum eſt impedimentum, & ille habilis effectus eſt: ac diſpenſatio ſuum omnimodum ſortita eſt effectum, qui non eſt jus aliquod ad beneficium præbere, ſed ſolum auferre impedimentum, quod habilitati naturali obſtabat. Qualiter ergo poteſt per matr. impedimentum id ſemel omnino extinctum reviviſcere? Nec obſtant argumenta contraria. Non primum, jam enim oſtenſum eſt diſcrimen. Non alia tria. Quia diſpenſatio illa ſuum omnino effectum conſecuta eſt, nimirum, auferre impedimentum: atque ideo ex nullo futuro eventu pendet.

10 Ex dictis deducitur primo, clericum contrahentem matrim. nullatenus poſſe retinere priora beneficia, ſed teneri ſtatim ea admittere, quod eo ipſo vacent. Ita *Nav. ſum. c. 25. Hiſp. n. 119. Latin. n. 120. Ang. v. Apoſtaſia, n. 2. & v. Clericus 5. n. 1. Silv. v. Apoſtaſia, q. 3. n. 8. fin. & v. Clericus 2. n. 2. verſ. Peccat vero in iſtis, Majol. lib. 1. de irreg. c. 34. n. 5. Toledo lib. 4. ſum. c. 18. n. 4. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c. 30. n. ult. Lud. Lopez 1. par. inſtr. c. 256. col. 4. § Inſuper, & circa fructus.* Quare peccaret mortaliter retinendo. Eſſet n. injuſtus retentor rei non ſuæ, & in re graviſſima. Et ita tradunt. *Angel. & Silv. duobus locis alleg. Nav. Toledo ibid.*

11 2. Deducitur, poſſe ſtatim ejus beneficia tanquam vacantia ita impetrari, ac alteri conferri. Quia inito matrimonio, non jure, ſed ſolo facto poſſidet. Sic *Anch. c. Quod a te, n. 4. de cler. conju. Azor lib. 5. inſtit. mor. c. 8. q. 3.*

12 3. Infertur, teneri hunc, ſi beneficium retineat, ad reſtituendos omnes fructus a ſe poſt matrimonium initum perceptos. Quia injuſte occupat beneficium, quod non eſt ſuum. Ita *Azor n. præc. alleg. Vega 1. tom. ſum. c. 36. caſ. 20. §. Alio quarto.*

13 4 Deducitur, non poſſe hunc, matrimonio jam contracto, reſignare beneficium in favorem tertii. Conſtat ex dictis n. 2. Et docet *Bernar. Diaz, & Zevallos ibi allegati, Flam. lib. 3. de reſign. benef. q. 1. n. 28.*

14 5. Deducitur; conjugatum eſſe incapacem obtinendi beneficii. Quod omnes nemine diſcrepante admittunt: & ſolum diſſentiunt circa facultatem diſpenſandi in hoc (ut vidimus n. 17. & 18.) Et ratio eſt manifeſta, quia laicus eſt beneficii incapax, *cap. cum adeo, de reſcript.* quod adeo eſt verum, ut quamvis ad plurimos juris effectus proxime accingendus habeatur pro accincto: ad beneficium obtinendum, non ſufficit quempiam habitum clericalem geſtantem, animum habere ſtatim obtento beneficio aſſumendi ordinem clericalem, ſed hic ordo debet neceſſario præcedere, ut contra *gl. c. 2. de inſt. in fin.* docent *Abbas c. Ex litteris, n. ∴. de tranſact. Felin. cap. Cum adeo, num. 4. de reſcrip.* docens omnes ibi id tenere, & multa ad id probandum congerens, *Lambert. de jure patron. l. 2. p. 1. q. 7. ar. 29. n. 9. & 10. Mandoſius reg. 24 Cancellariæ q. 4. nu. 12.* & multis aliis citatis 12. *Zevallos in ſuis q. pract. q. 523 n. 2.* At conjugatus reputatur in omnibus laicus, præter ſola privilegia canonis, & fori, & hoc ſervatis quibuſdam conditionibus (ut late dicemus diſp. 46.) Eſt ergo beneficii incapax. Inſuper id conſtat ex *cap. 2. de cler. conjug.* ibi, *Provideas attentius, ne deinceps clericus conjugatus ad beneficia Eccleſiaſtica, aut ſacros ordines, vel adminiſtrationes Eccleſiaſticas admittatur.* Tandem, quia conjugatus beneficia antea habita amittat, a fortiori erit incapax ad nova acquirenda. Multa enim impediunt, quæ non eiiciunt, *c. Quemadmodum, de jurejur.* Quare ſi beneficium conferretur clerico conjugato, collatio eſſet nulla, tanquam incapaci facta. Ut bene docent *Ant. c. de diverſis n. 7. de cler. conjug. & ibi Anch. n. 6. Imola n. 6.*

15 Imo quamvis aliqui inhabiles, ut excommunicatus, & irregularis obtinentes beneficium, juventur *regula De triennali*, atque ita non poſſint moleſtari, poſtquam triennio pacifice poſſederunt beneficium, ut contra *Rebuf. de pacif. poſſeſ. n. 126. & multis ſubſequentib.* docent *Pariſ. conſ. 96. n. 2. vol. 4. Philip. Probus addit. ad Coſmam in pragmatica ſanctio, tit. De pacificis poſſeſſorib. ſuper v. Moleſtari, gloſ. 3. Lud. Gom. reg. de triennali, q. 29. §. Quibus non obſtantib. & q. 27. Nav. c. Si quando, excep. 10. n. 9. de reſcr.* At conjugatus obtinens beneficium non juvatur ea regula, ſicut nec laicus. Eſt enim quoad hoc omnino ut laicus (ut n. præc. diximus) Et ita tenent *Rebuf. de pacific. poſſeſſor. n. 187. fin. Lud. Gom. regul. De triennali, q. 26. §. Sed breviter.* Et ratio differentiæ eſt, quod excommunicatus, & irregularis non ſint omnino incapaces beneficii: quamvis enim illud eo tempore obtinere nequeant, antea obtento non privantur, ſed retinere illud poſſunt. At laicus & clericus conjugatus nullatenus poſſunt beneficium aut acquirere, aut acquiſitum ante matrimonium retinere.

Temperanda tamen eſt hæc incapacitas clerici conjugati 16
ad obtinendum beneficium, juxta deciſionem *cap. de cler. conjug.* ibi: *Ne deinceps clericus conjugatus ad Eccleſiaſtica beneficia, vel ſacros ordines, aut adminiſtrationes Eccleſiaſticas admittatur, niſi forte caſtitatem voveret perpetuam, & qui unicam, & virginem habuiſſet uxorem.* Qui textus non modicam habet difficultatem. Nam intellectus, ut prima facie ſonat, evidens contineret abſurdum, maneret enim in conjugio cum voto caſtitatis, utpote quod non præjudicat uxori, ſed ſolum voventem jure petendi debiti privat, & beneficium Eccleſiaſticum poſſideret. Quare inveſtiganda eſt intelligentia textus. *Gloſ. ibi, v. Caſtitatem*, intelligit quando ambo conjuges communi conſenſu voverent caſtitatem, ſi eſſet uxor ſenex, & ipſe quoque, aut ſi juvenes tranſirent ad religionem: & addit poſſe dici ut ipſamet dicit, *cap. Conjugatus, de conv. conju. v. Continentiam*, ubi in fine, concludit, ſatis eſſe votum continentiæ utriuſque in ſæculo. Et hanc poſteriorem expoſitionem ſequitur *Innoc. ibi*, nempe, *eodem c. 2. n. un.* Sed priorem ſequitur *Hoſt. ibi, n. 1.* explicans, uxore conſentiente, & habitum mutante, ſi ſuſpecta ſit. Et clarius *Ant. ibi n. 7.* dicens eum textum intelligendum eſſe, juxta deciſionem *c. Cum ſis, & c. Conjugatus, de converſ. conjug.* Ut ſi uxor ſenex ſit, ſatis ſit votum caſtitatis: ſi autem juvenis, exigatur ipſius profeſſio *Abbas eodem c. 2. n. 3.* ſatis diminute locutus eſt, ſolum enim dixit, uxore mortua vel conſentiente. Et non poteſt intelligi textus, uxore mortua. Quorſum enim nunc exigendum eſſet votum caſtitatis a viro ut beneficii capax eſſet. Cum jam omni impedimento careat, nec a non conjugatis id votum petatur? *Card. eodem cap. 2. p. 1. & Ancher. n. 4.* explicant, ſi uxor profiteatur continentiam, *Rebuff. praxi beneficiorum, reg. De publicandi reſignat. gl. 18. n. 45.* explicat, ſi uterque voverit caſtitatem perpetuam, & ingreſſus fuerit religionem. Ego exiſtimo mentem horum Doctorem eſſe, ut textus intelligatur, niſi ut legitime ad ordines promotus fuerit. Tunc enim eſt beneficii capax: cum matrim. ſit ſolutum, quoad uſum & cohabitationem. Quare juxta varietatem ſententiarum diverſa petentium, quoad hoc, eſt diverſimode judicandum. Qui enim ſolum petunt votum caſtitatis uxoris qualiſcumque ætatis, ut vir legitime ad ſacros ordines aſcendat: ſolum id petunt, ut obtineat beneficium, poſtquam promotus fuerit ad ordines ſacros. Et ita procedit opinio poſterior Gloſſæ, & ſequacium. Qui vero diſtinguunt, an uxor ſit juvenis, an ſenex, & priori caſu petunt ipſius profeſſionem, poſteriori autem ſolum caſtitatis votum, id quoque in hoc eventu dicent. Et ita procedit prior expoſitio Gloſſæ, & ſequentium ipſam. Et ita intelligendus erit textus *dict. cap. Juxta hanc diſtinctionem.* Quare cum hanc diſtinctionem amplexus ſim hoc lib. diſp. 39. nu. 6. dicendum eſt, tunc conjugatum capacem eſſe beneficii, quando legitima uxoris licentia obtenta ad ſacros ordines promovetur, ipſa ſene promittente continentiam, aut juvene profitente religionem, vel eſt in via ad ipſos, quia præcedenti hoc in uxore, vir voto caſtitatis emiſſo initiatur animo ad ſacros aſcendendi (non enim poteſt aliter etiam prima tonſura initiari, ut dixi diſp. 38. n. 8. & 9.) Quare cenſerem, ſimiliter eſſe capacem beneficii conjugatum, qui ob uxoris adulterium legitime ad ordines promovetur. Quia jam ceſſat omnino uſus conjugii, & non eſt recurſus ad uxorem, non aliter quam ſi ipſa vovente caſtitatem, aut profitente, promotus eſſet. Ut dicemus lib. 10. diſp. 11. n. 16.

Tandem eſt difficultas, qui poſſit diſpenſare cum conjuga-
to hoc, non præſtitis, quæ n. præced. diximus, ut poſſit ob- 17
tinere beneficium. Quidam enim diſtinguunt inter beneficium ſimplex, & curatum, ut hoc ſola Pontificis diſpenſatione obtinere poſſit clericus, illud autem Epiſcopo diſpenſante. Probatur ex *c. Joannes, de cler. conjug.* ubi dicitur non cogendum fore conjugatum ad deferenda habitum & tonſuram, dummodo nullum percipiat beneficium Eccleſiaſticum. Supponit ergo poſſe id ex Epiſcopi diſpenſatione obtinere. Deinde, quia diſpenſat in beneficio ſimplici cum homicida, & cum irregulari, *c. Henric. de cler. pugnant. in duello, c. Ad audientiam, de homic.* Et cum depoſito, *c. Salonitæ, d. 63.* qui ſunt caſus graviores. Et ideo hujus ſententiæ ſunt *Speculator tit. de diſpenſ. §. Nunc de Epiſcopor. n. 4. verſ. 25. Hoſt. ſum. tit. de cler. conju. n. 1. verſ. Utrum autem. Idem Hoſt. c. 2. n. 1. de cler. conju.* ubi *Jo: Andr. n. 1. Anch. n. 2 Card. ſtatim in princ. oppoſit. 1. Imola n. 2. Idem Hoſt. c. Cum decorem, num. 2. & c. Diverſis n. 8. eod. tit.*

eod. tit. Anton. eodem c. Diverſis n. 7. & dict. c. Joan. n. 6. Anch. eodem c. Diverſis n. 7. & ibi Henric. referens Goffred. & Philip. n. 3. & ibi Imola, n. 5. & cap. 1. eod. tit. n. 4. Limitant tamen *Imola, Hoſt. Ant. Anchar. Henric.* in aliquibus ex locis proxime citatis, niſi beneficium illud ſimplex ſit dignitas. Tunc enim ſolius Pontificis erit diſpenſare.

18 Sed multo verius eſt, ſolum Pontificem poſſe diſpenſare, ut conjugatus qualecumque beneficium obtineat. Ducor ex *cap. Diverſis, de cler. conjug.* ubi jubetur Epiſcopo, ut clericos conjugatos beneficiis poſt conjugium adeptis privet, & ſtatim additur ſic: *Niſi forte talibus ſcienter contuleris Eccleſiaſtica beneficia, quibus eos non per te, ſed per ſuperiorem decernimus ſpoliandos.* Ergo non ſatis eſt diſpenſatio Epiſcopi. Alias non eſſent illi ſpoliandi beneficiis ab Epiſcopo collatis. Deinde, quod clericus conjugatus cenſeatur in omnibus mere laicus, præterquam in privilegio canonis & fori (ut diſp. 45. probavimus) Laicus autem eſt incapax beneficii Eccleſiaſtici, & contra canones eſt ei illud conferre, *c. Cum adeo, de reſc.* At Epiſcopus non diſpenſat contra canones, niſi ſibi expreſſe concedatur. Ut communiter notatur *c. At ſi clericis, §. De adulteris, de judic.* Cum ergo hoc non ſibi expreſſe concedatur, non poterit diſpenſare. Et confirm. quia expreſſe Epiſcopis interdicitur conferre beneficia conjugatis, *c. 2. & cap. Diverſis, de cler. conju.* Non ergo ipſorum eſt, in hoc diſpenſare. Præterea quia clerico conjugato non permittitur adminiſtratio Eccleſiaſt. *c. 2. de cler. conju.* Non ergo erit capax ex Epiſcopi diſpenſatione beneficii. Hoc enim quantumvis ſimplex ſit, datur ratione adminiſtrationis vel officii Eccleſiaſt. *c. Propoſuit, de filiis presbiter. c. Conquerente, de cler. non reſid.* Tandem, quia rationes propoſitæ n. præced. quibus contraria ſententia innititur, parum urgent. Nam *c. Joannes, de cler. conjug.* ſupponit clericum conjugatum poſſe aliquando habere beneficium. At cum non declaret modum, intelligi debet ex legitima Pontificis diſpenſatione. Nec urget etiam 2. ratio. Quia (ut bene ait *Abbas ſtatim alleg.*) in materia diſpenſationis, quæ eſt exorbitans, non valet argum. a caſibus permiſſis ad non permiſſos, etiamſi permiſſi majores ſint. Et ideo hanc partem tuentur *Ægydius & Florianus*, quos refert, dicens eſſe tutiorem *Imol. c. Joannes, n. 9. de cler. conjug.* Et videtur eam clare ſupponere *gl. ibi v. Beneficium*, ubi illum textum, ſupponentem poſſe conjugatum habere beneficium, explicat ex Pontificis diſpenſatione. Eamdem videtur tenere *ibi Jo: Andr. n. 12.* refertur enim utramque ſent. & hanc in ultimo loco. Eamdem tenent *Abbas eod. c. Jo: n. 7. Selva beneficiorum 1. p. q. n. 17. & 18. Bened. Capra reg. 97. n. 33. Angel. v. Beneficium, n. 15.* ubi *Armilla n. 10. Silv. v. Beneficium 3. q. 4. n. 8. Tab. Beneficium 2. q. 12. n. 14. Archid. c. Placuit, n. 3. d. 32. Card. d. c. Joan. n. 5. oppoſit. 2. Bermon. de publicis concub. §. qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit, n. 1. Alex. Carrer. lib. 3. de ſponſal. cap. 3. Flam. de reſign. benef. l. 4. q. 2. n. 28.*

19 Ad arg. n. 3. propoſita reſp. Ad 1. dic id procedere, ubi privatio beneficii incurritur in delicti pœnam. Quod hic non contingit, ut n. 4. explicuit. Ad 2. dic, eos textus non decernere compellendos eſſe clericos conjugatos ad beneficia dimittenda, quaſi ea non vacarint ipſo jure, ſed quia ipſo jure vacabant, ſpoliandi ſunt poſſeſſione, quam injuſte retinebant. Ad 3. dic id intelligi, quando quis a beneficio excluderetur ob inhabilitatem: at hic excluditur ob tacitam renuntiationem. Ad ultimum dic, eos textus eſſe hodie correctos: ut docent *Gloſſ. cap. 1. v. Relinquenda, de cler. conjug. Et ibi Innoc. n. un. Hoſt. n. 1. Abbas n. 2.* Vel dic illud factum fuiſſe ex miſericordia, ut dicunt idem DD. vel (ut dicunt *Innoc. & Hoſt.*) fuit diſpenſatio. Vel tandem (ut ait *Abbas ibidem*) poteſt intelligi, ut habeant prædicti clerici conjugati aliquid ab Eccleſia in ſtipendium, ſi pauperes ſint, non tamen in titulum Quod, & hodie ſervari poſſe affirmat.

DISPUTATIO XLIII.

An per contractum matrimonium irritum amittat clericus ipſo facto beneficia Eccleſiaſtica?

SUMMARIUM.

Refertur duplex ſententia, n. 1. & 2.
Proponitur ſententia authoris, 3.
Quid quando matrim. eſt irritum, quod contrahens ſit in ſacris? 4.
Quid, ſi contrahens ſit in minoribus, & matrimonium non valeat ob conſanguinitatem, aut aliud impedimentum dirimens? 5.
Quid, ſi ſit nullum ex defectu ætatis requiſitæ? 6.
Quid, ubi eſt nullum ex defectu conſenſus: quia alter vel uterque contrahens ficte conſenſit, aut ob viri conſtantis metum: vel alter mentis compos non fuit? 7.
Quid, quando eſt nullum, quia clandeſtinum? 8.
An quoties matrimonium eſt nullum, poſſit clericus reſignare beneficium in favorem alterius? 9.
Solvuntur argumenta, 10.

1 DIſputatio hæc graviſſima eſt, ac variis in eventibus, ob quos matrim. poteſt eſſe irritum, diverſimode loquuntur Authores. Qua brevitate autem, & claritate potuero, ab illa me expediam. Generaliter autem loquendo, eſt triplex ſent. I. non admitti eam regulam, ut in omni eventu, in quo matrim. eſt irritum, beneficia non vacent ipſo jure, ſed neceſſaria ſit ſententia judicis privantis: ſed in quibuſdam caſibus, in quibus eſt irritum, dicit vacare ipſo jure: in quibuſdam autem negat. Et circa hos caſus valde varii ſunt DD. hujus ſent. Quæ varietas conſtabit ex corollariis inferendis, n. 4. ſeq. ubi & Authores uniuſcujuſque caſus referam. Ducitur autem hæc ſentent. 1. ex *c. Nuper, de bigamis*, ubi clericus in ſacris conſtitutus, qui ante ordinem aſſumptum fuerat conjugatus, ac mortua uxore tranſit ad ordines, reputatur bigamus, & ut talis punitur, ſi ordine ſacro jam aſſumpto tranſeat de facto ad aliud matrim. Et redditur ibi ratio, quod quantum in ipſo fuit, ſecundam duxerit uxorem. Et melius *cap. Eum qui, de præb. in 6.* decernitur textus *c. Relatum, de cler. non reſid. & c. Cum ſingula, de præb. in 6.* decidentes per ſecundi beneficii adeptionem, ſi curatum ſit, vacare primum curatum ipſo jure procedere, quamvis irrita ſit adeptio ſecundi, ac redditur ratio his verbis: *Non enim ducet ut ſtultus melioris, quam peritus conditionis exiſtat, vel quod invaſor eo, qui juſte ingreditur privilegio gaudeat potiori.* At in noſtro caſu militat prorſus ratio utriuſque textus. Si enim juſte iniens matrim. amittit eo ipſo beneficia, a fortiori illud admittit invaſor, qui injuſte & irrite illud inivit: cum quantum in ſe eſt, ſtatum incompatibilem aſſumere voluerit. Alias potiori privilegio gauderet invaſor, conſtat *dict. c. Eum qui* 2. quia ratio vacationis beneficii prioris curati per poſterioris adeptionem ea eſt, quod adipiſcens beneficium incompatibile cenſeatur primum tanquam derelictum habere, ſicut duo contraria, quia ſimul ſtare nequeunt, ſe expellunt. Quæ eſt etiam ratio vacationis beneficiorum per validum matrim. Eſt enim tacita renunciatio per ſtatum incompatibilem cum beneficiis aſſumptum. Sicut ergo ſatis eſt in priori caſu ad vacationem, ut clericus, quantum in ſe eſt, acceptet beneficium incompatibile, quamvis irrita ſit collatio. Ita ſufficiet in poſteriori, ut quantum in ſe eſt, clericus elegerit ſtatum matrim. incompatibilem. Quamvis ex aliqua cauſa id irritum fuerit. 3. quia *c. Quanto, de tranſl. Epiſc.* habetur Epiſcopum transferentem ſe ad aliam Eccleſiam, carere habita, & ambita. Ita ergo in præſenti in odium hujus, qui de facto matrim. contraxit, conſurgit effectus vacationis beneficiorum contra eum, ac ſi matrim. valuiſſet. Tandem, quia ſponſalia irrita, præterquam ex defectu conſenſus, attento jure antiquo producebant juris effectum, nimirum impedimentum publicæ honeſtatis matrim. dirimens, *c. un. de ſponſ. in 6.* Non ergo mirum eſſe debet, ſi matrimonium irritum inducat vacationem ipſo facto benef. Et hæc ſentent. eſt valde probabilis.

2 II. Sent. ita diſtinguit. Si matrimonium irritum contrahens ſit illius nullitatis conſcius, beneficia non amittit, donec condemnetur, ſecus ſi ignarus ſit. Ducitur, quia ratio hujus amiſſionis eſt tacita renunciatio collecta ex contrahentis voluntate eo quod ſtatum cum beneficio incompatibilem aſſumat, quod quantum in ſe eſt, efficit putans matrimonium irritum quod init, eſſe validum: ſecus de ſciente irritum eſſe, non enim ſtatum incompatibilem aſſumere vult, ſed deludere alterum contrahentem. Ita docent, *Imola, Clem. Gratiæ, n. 25. de reſcr. & ibi Benedictus Capra in quadam repet. n. 35. Philippus Probus addit. ad Monachum, c. un. n. 15. & 16. de cleric. conjug. in 6. Decius conſ. 169. n. 1. vol. 1.* & eſt etiam valde probabilis.

3 III. Sent. (cui tanquam probabiliori adhæreo) generaliter aſſerit. quomodocumque & ex quocumque caſu matrim. ſit irritum, non amitti beneficia ipſo jure, ſed in delicti pœnam, ſententia judicis accedente, contrahentem privandum eſſe, Ducor 1. quia aut hic amittit beneficium in pœnam delicti, & tunc exigitur ſententia: aut ex tacita renunciatione, non habita ratione ſtatus incompatibilis aſſumpti, & hoc etiam non, quia tacita renuntiatio non poteſt majoris eſſe virtutis, quam expreſſa (ut probavi diſp. 37. n. 34.) At renuntiatio expreſſa non inducit beneficii vacationem, niſi fiat in manibus Epiſcopi vel ſuperioris, *c. Niſi cum pridem, c. Admonent, c. Quod in dubiis de renunciat.* Vel tandem ex tacita renuntiatione, cum aſſumptione ſtatus incompatibilis. Et hoc etiam non habet locum. Quia vere non aſſumitur ſtatus incompatibilis: nec voluntas aſſumendi quantum in ſe eſt, & proinde dimittendi beneficium ſufficit: ſicut nec renuntiatio expreſſa non facta in manibus ſuperioris legitimi ſufficeret. 2. qui non præſtat impedimentum, quod de jure non ſortitur effectum, *reg. Non præſtat, de reg. jur. in 6.* & quod nullum eſt, nullum poteſt producere effectum, *l. 4. §. Condemnatus, ff. de ſent. & re jud.* nec eſt conſiderabile, ut bene tradunt *Flam. de reſig. benef. l. 11. q. 6. n. 118. & Pariſius per ipſum alleg. conſ. 109. n. 1. vol. 3.* & nulla non facta pacificantur, *c. Proveniens, de filiis presb.* Et notant Doctores, *cap. in præſentia, de probat. & Flam. de confidentia beneficiorum, q. 46. n. 30.* Cum ergo id matrim. irritum ſit, non inducet juris effectum, nec ad id erit in conſideratione. Si quidem nullus textus invenitur diſponens in hoc eventu, ſolam attentationem facti ſufficere. Nec id in aliis eventibus diſpoſitum eſſe ſufficit. Hæc enim pœnalia non ſunt extendenda, maxime cum in contrarium extent omnia juris principia clamantia quod irritum eſt, nullum producere effectum, alias poſſet argui injuſtum, occiſorem feræ, putantis eſſe hominem ſibi inimicum, eſſe irregularem. Quia juſtus occiſor veri hominis eſt irregularis: & non debet eſſe pejoris conditionis, quam

inju-

injuſtus, qui quantum in ſe eſt, & ex parte ſuæ voluntatis interficit, & apud Deum eſt reus veri homicidii. Tandem, quia multi Doctores (ut n. ſeq. videbimus) aſſerunt initiatum ſacris contrahentem matrim. quod revera eſt irritum, & valde ſacrilegum, non amittere beneficia donec condemnetur. Et non poteſt congrua diſcriminis ratio aſſignari, cur ob id impedimentum exiſtenti irrito matrim. non amittantur beneficia: ac vacent quando eſt irritum ob impedimentum conſanguinitatis, & ob cetera dirimentia. Quia in omnibus illis vere non eſt aſſumptus ſtatus incompatibilis, ſed ſola voluntate cum ipſo facto irrito: & procedit eadem ratio: nimirum ex parte ſua illum aſſumpſiſſe ſtatum incompatibilem: & ſi non perdat ipſo facto beneficia, erit utique injuſtus potioris conditionis quam juſtus, qui legitimum matrimonium iniit. Et confirm. quia impubes volens vere contrahere matrim. illudque contrahens, at irritum, quod malitia non ſuppleat ætatem, minime amittit beneficia (ut ex omnium fere ſententia dicemus) cum tamen facto ipſo quantum ex parte ſuæ voluntatis eſt, vere contraxerit matrim. nec illud caruit omnino effectu: induxit enim ſponſalium obligationem, *c. un. de ſponſ. impub. in 6.* Ergo a fortiori matrimonium prorſus irritum, nullamque vim obligandi habens non inducit beneficiorum vacationem. Et ideo hujus ſententiæ ſunt *Joan. de Lignano cap. 1. de ſponſ. in 6. Cardin.* ipſum referens *clem. Gratiæ, n. 10. q. 17. de reſcrip. Decius conſ. 166. in fin. vol. 1.* nam licet prius diſtinxerit (ut retuli n. præced.) at tandem omiſſa ea diſtinctione, hanc partem amplectitur tanquam veriorem.

4 Hinc 1. deducitur quid dicendum ſit quando matrim. eſt irritum, eo quod contrahens ſit in ſacris conſtitutus. Quidam (& ſatis probabiliter) aſſeverant, ipſo jure abſque alia ſent. perdi beneficia. Ducuntur argumentis n. 1. propoſitis. Ita docent *Abbas n. 7. c. 1. de cleric. conjug. & ibi Card. num. 2. qu. 1. & c. Joan. eod. tit. n. 8. q. 11. Anch. eodem c. 1. n. 2. not. 2. & c. unic. eod. tit. in 6. n. 5. q. 2. Rom. conſ. 483. n. 6. Staphil. de lit. gratiæ*, ubi de variis vacationis modis, *quinto vacationis modo, num. 8. Aimon de antiquit. 4. par. §. Videamus n. 14. Aufrerius dec. Capellæ Tholoſanæ 240. num. 4. & 5. Moral. l. 41. gl. un. t. 6. p. 1. Silv. Clericus 2. n. 2. verſ. peccat vero in iſtis, Covar. 4. decret. 2. p. cap. 6. §. 3. num. 4. fin. Ant. Cucus 5. inſtit. major. t. 12. n. 215. Azor l. 13. inſtit. moral. c. 13. q. 6. Zavall. in ſuis q. pract. q. 147. n. 5.* & dubius cogitandum relinquit. *Gygas de penſionib. q. 54. n. 6. & 11.* & idem tenent cum hac limitatione, ſi copula fuit ſubſecuta. *Humado l. 41. gl. 2. n. 3. t. 6. par. 1.* At contrarium eſt probabilius, nimirum, non vacare beneficia ipſo jure, ſed deſiderari ſent. quod probatur rationibus n. præced. adductis. Præterea ex *c. 1. de cleric. conjug.* ubi de clericis minorum ordinum ducentibus uxores, deciditur uxores retinendas, beneficia autem dimittenda: & ſtatim fit ſermo de conſtitutis in ſacris tranſeuntibus ad matrimonium, & ſolum dicitur uxores dimittendas, & ita tenet *Jo: Andr. c. Joan. n. 23. de cler. conjug. & ibi Ant. n. 19. fin. Anchar. n. 14. Imola num. 24. Idem Ant. cap. 1. in fin. eod. tit. & ibi Imola fin. Henric. c. Diverſis, n. 11. eod. tit. Francus c. unic. in princ. n. 4. eod. tit. in 6. Roſella Clericus 4. n. 22. Silv. Beneficium 3. q. 22. Tabiena Beneficium 2. q. 12. n. 14. Armilla v. Beneficium, n. 20. Bermon. de publicis concub. §. Qui vero ſolutus eſt ſi continere nolit, num. 2. Navar. ſum. cap. 25. Hiſp. n. 119. Latin. n. 120. Greg. Lop. l. 41. v. Et benefic. t. 6. p. 1.* & manifeſte videtur idem ſentire *ea lex. Ant. Grabat. addit. ad conſ. 166. Decii vol. 1. lit. A. Jul. Clar. l. 5. recept. §. fin. in pract. crim. q. 73. n. 5. Maſcar. de probat. concl. 182. n. 6.* Et ex Theologis, *Enriq. t. 7. de indulg. c. 36. n. 1. in comment. lit. G. Manuel 1. to. ſum. 2. edit. c. 30. n. ult. Emm. Sa ſum. v. Benefic. n. 24. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 256. col. 5. §. At ſi de conſtituto, & 2. p.* ubi de matrim. *c. 49. col. 8. immediate ante tit. de imped. conſang. Vega 1. to. ſum. c. 36. caſ. 20. in fin.*

5 Secundo deducitur, quid dicendum quando contrahit matrimonium irritum ob conſanguinitatem, vel aliud impedimentum dirimens, iis qui ſolis minoribus ordinibus eſt initiatus: Communis fere omnium ſenten. aſſerit, nulla expectata judicis ſentent. vacare ipſo facto beneficia, quod cum ille ſit habilis ad contrahendum, videatur velle efficaciter mutare vitam, ac ſubinde beneficia dimittere. Ita docet *Brixienſis*, quem referunt ſequuntur *Jo: Andr. c. 1. n. 2. & c. Jo: n. 23. de cler. conjug. Ant. eod. c. Joan. n. 19 Abbas d. c. 1. n. 7. Card. ibi, in fin. & d. c. Joan. nu. 8. q. 11. Anch. ibi n. 14. & d. c. 1. nu. 2. Imola d. c. Joan. n. 24. Henric. c. Diverſis n. 11. & c. Quod a te, n. 5. eod. tit. Francus c. unic. in princ. n. 4. de cleric. conjug. in 6. & ibi Anch. n. 5. q. 2. Rom. conſ. 483. n. 6. Jaſon l. Ubi pactum, n. 25. C. de tranſact. Rebuff. praxi benef. reg. de publicandis reſign. gl. 18. n. 44. Aufrer. deciſ. Capellæ Tholoſanæ 240. n. 5. Roſel. v. Clericus 4. n. 22. Angel. Clericus 5. n. 1. Silv. v. Clericus 2. n. 2. §. Peccat vero in iſtis, & v. Beneficium 3. q. 22. Tab. v. Beneficium 2. p. q. 12. n. 14. Armil. v. Beneficium n. 20. idem Rebuff. de pacif. poſſeſſ. num. 187. Gygas de penſion. q. 54. num. 11. Bern. Diaz in addit. ad Jo: Lup. rubric. de donat. inter vir. & uxor. §. 55. addit. 2. verſ. Adde, hoc procedit, Navar. ſumm. cap. 25. Hiſp. num. 119. Lat. num. 120. Staphil. de lit. gratiæ*, ubi de vacationis modis, *in 5. vacationis modo, num. 9. Covar. 4. decret 2. p. c. 6. §. 3. n. 4. Tiraq. de retract. lignag. §. 26. gl. 2. n. 9. Greg. Lop. l. 41. v. Et beneficio, t. 6. p. 1. Minchaca de ſucceſ. creat. l. 3. §. 22. num. 47. Anton. Cucus l. 5. inſtit. major. t. 12. num. 226. Perez l. 5. ordin. t. 1. l. 1. fol. 5. verſ. Quæro clericus quidam, Ant. Gabr. to. 1. comm. in mea edit. l. 3. f. 108. v. Clericus beneficiatus, Flam. de reſign. benef. l. 1. q. 1. n. 12. Salz. addit. ad pract. Bern. Diaz, cap. 80. v. Sit nullam. Zaval. in ſuis q. pract. q. 147. n. 5.* Et ex Theologis, *Azor l. 13. inſtit. moral. cap. 23. q. 6. & 8. Lud. Lop. 1. p. inſtr. c. 256. col. 5. §. Interim iſthinc pullulat, & 2. p. inſtr. cap. 49. de matrim. col. 7. Manuel 1. tom. ſum. 2. edit. c. 30. n. ult. Vega 1. tom. ſum. cap. 36. caſ. 20. §. Alo quinto.* Et dicunt *Covar. Greg. Lop. Salz. Zaval.* hoc procedere, ſive ſcienter, ſive ignoranter id matrim. initum ſit. Temperant autem *Navar. Azor, q. 8. Lud. Lop. in utroque loco Manuel*, ſi in clerico verus contrahendi animus adfuerit. Aliis vero placet hæc diſtinctio, ſi clericus noverat impedimentum, non vacant beneficia ipſo facto, ſecus ſi ignorabat. Quæ diſtinctio eſt conformis ſententiæ, num. 2. ſupra allegatæ, ubi ejus fundamentum propoſui. Ita docent *Bernard. Diaz pract. ſua can. in nova edit. c. 80. n. 5. Bermon. de publicis concub. §. Qui vero ſolutus, num. 2. Jul. Clarus l. 5. receptar. §. fin. in pract. crim. q. 73. n. 5. Humad. addit. ad l. 41. gl. 2. n. 2. t. 6. p. 1.* Temperant autem *Bermon Jul. Clar. Humada*, ut non vacent beneficia, quando ſcienter eſt contractum matrimonium, niſi copula ſubſecuta ſit. Quæ omnia quamvis ſatis probabiliter dicta ſint: at retenta noſtra ſententia, quam num. 3. propoſuimus, dicendum eſt beneficia non vacare, ſive ſcienter, ſive ignoranter id matrimonium contractum ſit. Idque probatur rationibus, & authoritate Doctorum, ut ibi allegavi.

6 Tertio deducitur, quid dicendum ſit, quando matrim. eſt irritum defectu ætatis, quod uterque contrahens aut alter ſit impubes, nec malitia ſuppleat ætatem *Staphil. de litteris gratiæ*, ubi de variis vacationis modis, *quint. modo num. 9.* ait poſſe non abſurde dici vacare beneficia, utervis ex contrahentibus ſit impubes. Quia clericus fecit quod potuit, & quantum in ſe eſt, habuit Eccleſiam pro derelicta. At communis ac veriſſima ſent. eſt, quando ſponſus eſt impubes, minime vacare beneficia, quod matr. id habeat vim ſponſalium, *cap. 1. de deſponſat. impub. in 6.* At per ſponſalia non vacant (ut probavi diſp. præc. nu. 1.) Atque ita docent *Jo: Andr. c. Joan. n. 23. de cler. conjug. & ibi Ant. n. 19. Card. n. 8. q. 111. Anch. n. 14. Imola n. 24. Abb. c. 1. n. 7. eod. tit. Henric. c. Diverſis, n. 10. eod. tit. Philip. Probus addit. ad Monachum c. un. n. 10. eod. tit. in 6. Staphil. d. modo quinto vacationis, n. 6. Gygas de penſion. q. 54. n. 9.* & a fortiori ad tenentes quando ſponſa ſola eſt impubes, (quos ſtatim referam) tenentur hoc aſſerere. Major autem difficultas eſt, quando clericus erat pubes aut femina, cum qua contraxit, impubes. Nam *Philip. Probus proxime alleg.* aſſerit vacare. Quippe non ſtetit per ipſum clericum. Aliis hæc diſtinctio placet, ut non vacent beneficia, ſi pubes noverat feminam impuberem eſſe, ſecus ſi id ignorabat: ſic tradunt *Minchaca lib. 3. de ſucceſ. creat. §. 22. n. 47. fin. Salzedo addit. ad Bernard. Diaz in pract. 80. in fin.* At dicendum eſt minime vacare. Quia militat eadem ratio, ſolam enim ſponſalium vim habet id matr. juxta deciſionem *d. c. un. de deſponſ. impub. in 6.* Sic *Joan. Andr. Ant. Abbas Anch. Cardin. Imol. Henric. Staph. num. 5. Gygas proxime cit. Bernard. Diaz pract. in nova edit. c. 80. n. 6. Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 3. num. 4. Jul. Clarus lib. 5. recep. §. fin. pract. crim. qu. 73. num. 5. Azor lib. 13. inſtit. moral. cap. 13. q. 8. Lud. Lop. 2. p. inſtr. de matr. cap. 49. col. 7.*

7 Quarto deducitur, quid ſentiendum ſit matrimonio exiſtenti irrito defectu conſenſus, quod tripliciter evenire poteſt. 1. quia alter contrahens non eſt mentis compos. 2. quia metu viri conſtantis conſenſit. 3. quia ficte conſenſum præſtitit. Et generaliter quando matr. fuit irritum defectu conſenſus, quidam ſic diſtinguunt. Si defectus conſenſus fuit in utroque contrahente, aut in ſolo clerico, non vacant beneficia. At ſi fuit in ſola femina apta ad matr. vacant, ſecus ſi ea inepta erat. Quia quando fuit conſenſus in clerico, & femina ficte conſentiens apta erat ad matr. illud non fuit irritum ex parte voluntatis clerici. Sic *Imola clem. Gratiæ, n. 25. de reſcript. & ibi Benedict. Capra in quadam repet. n. 45. Philip. Probus addit. ad Monachum, c. un. n. 16. de cler. conjug. 6.* Alii ita diſtinguunt, ſi defectus conſenſus fuit in ipſo clerico, non vacant: ſecus ſi fuit in femina, quæ metu compulſa eſt, aut non erat ſanæ mentis. Sic *Bernar. Diaz pract. can. in nova edit. 2. c. 80. n. 5.* Alii quando defuit conſenſus in clerico, dicunt eum non amittere beneficia: nec amplius explicant quid ſentiant, quando defuit conſenſus in femina. Sic *Nav. ſum. c. 25. Hiſp. n. 119. Latin. n. 120. Azor l. 13. inſtit. moral. c. 13. q. 8. Manuel 1. t. ſumm. 2. edit. c. 30. n. ult. Lud. Lop. 2. par. inſtr.* ubi de matrim *c. 49. col. 1.* Sed dicendum eſt, ex parte utriuſvis deficiente legitimo conſenſu ad valorem matrim. requiſito non vacare beneficia, quod maxime verum eſt, in noſtra ſent. Et poteſt probari rationibus pro ea adductis n. 3. & inſuper quando deficit conſenſus legitimus, quia utervis contrahens non fuit ſanæ mentis, aut metu viri conſtantis coactus eſt, non vacare beneficia, docent *Jo: And. c. Jo: n. 23. de cler. conjug. & ibi Anton. num. 19. Anch. num. 14. Imol. nu. 24. Abbas c. 1. n. 7. eod. t. Henr. c. Diverſis n. 10. & 11. eod. tit. Gygas de penſion. qu. 54. nu. 9. & 10. Staphil. de lit. gratiæ*, ubi de variis vacationis modis, *quinto vocationis modo, n. 7. & nu. fin.* & quando defectus conſenſus provenit ex amentia alterius contrahentis, concordat *Card. d. c. Jo. n. 8. q. 11.* & conſtat, quia non amitteret beneficium, ſi contraheret cum dormienti femina aut mortua,

licet